ORBIS
GOTHICUS.

ID EST:

HISTORICA NARRATIO,

OMNIUM FERE GOTHICI NOMINIS POPULORUM

ORIGINES, SEDES, LINGVAS, REGIMEN, REGES, MORES, RITVS VARIOS, CONVERSIONEM AD FIDEM &c. &c.

EXHIBENS.

QUA SIMUL

VICTRICEM OLIM TOT GENTIUM

GOTHIAM,

PRODUCTIS ULTRA EUROPÆ ASIÆQUE TERMINOS IN AFRICAM ARMIS,

GOTHIÆ SARMATICÆ;

SCILICET:

PATRIÆ AC IMPERIO SERENISSIMI AC INVICTISSIMI

JOANNIS III.

AUSPICATISSIMI POLONIARUM

MONARCHÆ,

POTENTISSIMI EXERCITUUM IMPERATORIS, PATRIS PATRIÆ CLEMENTISSIMI

ACCEPTAM DEBERE ORIGINEM,

DEDUCITUR ARGUMENTIS; AUCTORUM TESTIMONIO COMPROBATUR:

OPERA ET STUDIO

MATTHÆI PRÆTORII,

Præpositi Waineropolitani, Historiographi ac Secretarii S. R. Maj. Poloniarum.

ANNO SUPREMI GENTIUM TERRARUMQUE PRINCIPIS M. DC. LXXXVIII.

Typis MONASTERII OLIVENSIS *Sacri Ordinis Cisterciensis.*

IMPRIMEBAT JOANNES JACOBUS TEXTOR, FACTOR.

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
JOANNI III.
Monarchæ Poloniarum Auguſtiſſimo, Magno Duci Liethvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque.

Potentiſſimo Exercituum Chriſtianorum Imperatori,

Patri Patriæ Clementiſſimo,
Domino Domino ſuo Beneficentiſſimo.

Orbem hunc Gothicum,

Sacrum eſſe vult.

Matthæus Prætorius.
S. R. M. *Hiſtoricus.*

SERENISSIME AC INVICTISSIME REGUM DOMINE, DOMINE *CLEMENTISSIME.*

TErtius supra decimum decurrit Annus, ex quo TE, Ducum Fortissimum, Regum Fortunatissimum, Trium Magnorum Ducatuum Ter Maximum Principem,[a] Sago Togâque Potentissimum, nostra adoravit Sarmatia. Equidem, si Regales Laureis Coronæ; si Clavis Ducum Victricibus, sceptra debentur: tot Regna, aut toties Patrium emeritus es, quot hosticas & civicas eidem obtulisti Laureas. Sanè in TE Uno plures Polonia nostra pro meritis Reges suscipit, & suspicit. Ut Tertii inter coronatos JOANNES, emeritum obtinuisses No-

a. MAGNI DUCATUS *sunt: Lietvania, Russia, Prussia.*

men;

men; perfectionem Numeri Virtutum Tuarum perfectione adæquâsti: qui & Antecessorum Tui Nominis perfecisti gloriam, & famam meritis adimplêsti; atque etiam adunata Nomina, [b] adunato sortis Virtutisque Tuæ robore, Solus JOANNES superâsti. Quin ut inter solennes Inaugurationis Tuæ applausus, JOANNES III. meritissimo proclamareris à Cive, salutareris ab Extero: Triennium ab auspicata delegisti Electione, ut per Martiâ plenum gloriâ Tempus. [c] Gratiosissimus Patriæ compareres, utque ea, non in solo Majestatis Tuæ Nomine, sed in fortunata etiam Virtute, & faciente utiquè Numine, perfectam se reperisse Gratiam, potiùs gloriaretur. Quid? quin Coronata Tertiorum Nomina, Tuo applaudant Nomini. Nunquam illa non fortunata Poloniæ affulsêre. Heroa *Lesci III.* facinora Patriæ implêrunt ora orasque Regnorum finitimas. [d] Satis gloriæ concessum est; Parenti successisse Imperio: gloriam factis præcesisse. *Boleslai III.* Pietatem in superos, Sacræ in Patria loquantur Basilicæ; fasti in Parentem. Utramque prolato in Lustra novem Regimine Cælites coronârunt. [e] Martiam illius fortitudinem, Vicinus cir-

b. *Joannes I. Albertus; Joannes II. Casimirus; JOANNES III.*

c. *Profligatus Prædo Russiæ Scytha, Thrax ad Chotinum.*

d. Herburt. Hist. Pol. p. 12. 13.

e. *Boleslaus III. regnavit 36. Ann.*

cum-

cumquaque Orbis, alter edomitus, vindicatus alter, sensit probavitque. [f] *Vladislaum III.* Buda suspexit Vindicem; Amurathes, Orbis Eoi Tyrannus exhorruit: Ardor Martis, dignum seculis Principem Patriæ subtraxit gloriæ. [g] *Casimiro III.* è merito *Magni*, Martium robur, Thrax repressus, Geta toties fusus, Moldavus subactus veriti sunt ac reveriti. [h] *Sigismundus III.* adhuc in animis Polonorum vivit, viget in mentibus Exterorum; non sinente famam emori Illustrissimo ac Meritissimo de Patria, Patruo Tuo, JACOBO SOBIESKI. [i] Fortunatum in bellis & otio Regimen, secundior rariorque Principum sors in sextam propè extendit Annorum Decadem. [k] Ita nunquam Poloni Imperii Princeps, sui Nominis Tertius, non auspicatus exstitit. Nempe ad Coronatos ubi ventum Triarios, Virtus Fortunaque visæ sunt conspiratâsse. Gaudent Te ii, successore Tanto. Succedis JOANNES III. par sorte, par meritis & virtutibus; ut scilicet auspicata eorum Nomina Gratiâ Tui Nominis exornes; corones auspiciis: utque non è vano glorietur Patria, *Tertium* se habere Principem. Id est. Fortunatissimum, eumque JOANNEM sc. Orbis Gra-

f. Herburt. c. l. p. 67. seqq.

g. Herburt. c. l. p. 318. seqq.

h. Pastorius in Casimiro Magno.

i. libr. de Bello Chotinensi.

k. *Sigismundus III. regnavit 55. ann.*

tiam, ceu quondam Roma, Orbis Amorem, Titum. Neque Exordia Regiminis Tui secundo vacant omine. Auspicatissimus nostræ illuxit Sarmatiæ Annus, cunctis retro seculis, Quartus supra septuagesimum: Nullum ferè nefastum Patrii notârunt fasti. Secundum Lesci I. Imperium: [l] Diuturnum Zemoviti è Coronatis Poloniæ Primi: [m] Orthodoxum Miecislai è Coronatis Christo deditis. [n] Primi. Boleslai Martium, [o] etsi varians prosperum tamen, senis obtinuit Miecislai. [p] Illum Boleslaus Pudicus triumphalem: [q] Victoriosum Ludovicus: [r] Pacificum Casimirus IV. experti [s] qui tandem præterito Moldaviam seculo acceptam retulit Poloniæ. Henrici Valesii Regii Throni metamorphosis [t] in Stephano Bathoreo Poloniæ Diadema honore & gloria coronavit perennatura. At qui Tuo sacer Imperio est, omne tulit punctum, tulit auspicium. Nimirum ut compendio eloquar, Annus ille insigne retroactorum Compendium est; nactus Te insignem Principem, Fortunatorum Heroum Regumque Compendium. Cui scil. Virtus omnis fortunaq; obsecundat.

Cui militat æther
Et conjuratæ veniunt in prælia gentes.

[l] Ann. 774. *Lescus I. regnavit feliciter.*
[m] An. 874. *Zemovitus Prussorum Domitor.*
[n] Ao. 974. *Miecislaus I. Christianus factus, promovit Religionem Christianam.*
[o] Ao. 1074. *Boleslaus Audax Prussos vicit.*
[p] Ao. 1174. *Miecislaus Senex pacat Poloniam.*
[q] Ao. 1274. *Boleslaus Pudicus Illustris.*
[r] Ao. 1374. *Ludovicus Rex Poloniæ & Hungariæ Hedvigem Reginam Poloniæ designat.*
[s] Ao. 1474. *Casimirus III. Magnus.*
[t] Ao. 1574. *Henricus Valesius cedens dedit ansam eligendi Stephanum Transylvanum fortunatum ac virtuosissimum Principem.*

Quæ

Quæ enim diviſa Beatos, effecêre Anteceſſores Tuos, in TE Unum collecta promanârunt, ſorte Cælitum rariore. Quin & conceſſa Tibi ſingularia. Per Laureas ad Regalem evectus Thronum; ubi Patrium meritis Orbem, annos Imperii Laureis coronâſti: Famam Poloni Nominis propè labantem, ipſa Tui Nominis famâ erexiſti; erectam invicto Martis robore obſormâſti. Quo & fortunam Patriam, non revocâſti tantùm priorem, ſed illuſtriorem etiam Occiduis Eoisque terris reddidiſti. Ita enimverò, Sereniſſimus Majeſtatis Tuæ Splendor, Polono affulſit Trioni, ut Victoriarum inſignis affulſerit Auſtro, Martis Potentiſſimus, Orienti Meridianum meritorum, Pannonia ſuſpexit ora; Auguſtum Famæ Virtutisque Moſcuus Septentrio. Verùm Gothicus hìc, quem Majeſtati Tuæ ſuppedaneum cùm Auctore defero, Orbis; non alium quàm Nominis Tui Gratioſiſſimum exambit ſplendorem: conſcius, nunquam poſſe illuſtriorem ſe fore, quàm ad tantum Regiæ Serenitatis fulgorem; qui vel cæteris par Regum ſplendoribus vel potior, neque tutiùs inter Zoilorum manus mentesque verſari; quàm ad umbram Regalis SCUTI, Orbis

Chriſtia-

Christiani præsidium. Quæ verò Sors Orbis mei si Serenissimo dignus aspectu; si ab Invictissimâ dextrâ acceptatus fuerit? Non Patronum Cliens Potentiorem quàm in tanti Gratia Nominis: non refugii præsidium firmius, quàm in Regali SCUTO: non sereniorem lucem, quàm in tantæ Majestatis fulgore; facilè repererit. Apage non privata tantùm, sed quævis terrarum lumina tutelaque, splendor Majestatis Nominisque Tui, Gothico Orbi, satis abunde est, etiam ad gloriam: si quem amat ambitque solum, nactus fuerit. Admitte itaque Regum Serenissime, ad Augustal Serenitatis Tuæ supplicem; Admitte Regum Clementissime ad Pedum oscula Orbem Tuum. Patrius est, Gothiam refert Sarmaticam. Partus quidem laboris mei; sed Tibi ex integro deditus, devinctusque Tibi, Tuoque sub Imperio natus; adolevit: Te Principe, Patrono, Patre Patriæ, gaudet, gloriatur. Admitte eum, qui Auctoris sui obligatum ambit declarare affectum; quidve Infimus Clientum Tuorum, Regiæ debeat Majestati & Gratiæ, testari. atque unà veterem Patrii Regni statum, palam omnibus; at imprimis Tibi, Regum Augustissimo, cujus arbitrium Uni-

verso-

versorum est, repræsentare. Profert ille tot Unius Gentis Nomina; exponit ritus moresque; recenset nomina gestaque Principum, Romanæ etiam Æmula gloriæ, honoris proxima. Quicquid tandem antiquitatis manet Patriæ, nihil reticet. Atque jam sistit se Majestati Tuæ in prodromâ sui paginâ: ut fortunam à Regum Fortunatissimo, Patrocinium à Potentissimo, Favorem à Clementissimo, Gratiam à JOANNE Serenissimo supplex deprecetur: Sistit iterum, ut pretium antiquitati, Clienti conciliet Clementiam. Ita Te vetus etiam loquetur Sarmatia: *Ita semper honos Nomenque Tuum laudesque manebunt*: quem superus fovet Orbis; amat Patrius: Christianus reveretur, pavet hosticus, universus admiratur.

Sacræ & Serenissimæ Regiæ Majestatis Tuæ.

Servorum Infimus
Clientum Indignissimus

Matthæus Prætorius.

Applausus Epigrammaticus
Supra ORBEM GOTHICUM
S^mo^ JOANNI Regi Poloniarum
Ab Eruditissimo Authore dedicatum.

DEsine Roma tuos fasces jactare per Orbem;
Te Solam Dominam Marte fuisse Soli:
Gothica Gens armis vastas dominata per oras
Orbis possedit non minus Imperium.
Quid quod & invictas Romana Potentia vires
Victa dedit Gothis; ferre coacta jugum.
Hujus agit Gentis Livium Prætorius, atque
Gothorum verè Gesta stupenda refert.
Orbi ignota diu variabat origo: per ipsum
Reddita Sarmatiæ cernitur esse suæ.
Quòd tamen Augusti manibus Sacrata JOANNIS,
Maximus *hinc Orbi* Gothicus Orbis *erit.*
Hoc totum Rex JOANNES complectitur unus,
Gothica Gens quidquid laudis in Orbe tulit.

M. A. H. A. O. O. C.

Alterius Amici Lectoris
EPIGRAMMA.

CLauserat Iliadem Nucleus: Græca Ilias arma:
Hæc Orbem Gothicum, pagina docta refert.
Pagina plùs sensu, rebusque instructa notandis;
Auctoris mentem pandit & ingenium.
Iliadem acclini Macedo cervice recondat:
Corde sed hanc condet Sarmata Gothiadem.

J. D. S. S. J.

PROLEGOMENA
IN
ORBEM GOTHICUM, &c.

§. I. Recensentur Veteres Rerum Gothicarum Scriptores.

GENTEM GOTHICAM, cùm Nominis, tùm Virtutis famâ, longè latèque celeberrimam Luci publicæ proponimus. Sed primùm *Authores*, qui eam literis, literas posteritati mandârunt, breviter exponendos æqui duximus, ut Lectori faventissimo, ea Gentis celebritas, clariùs innotesceret. Atque ii in duplicem veniunt classem. Primi *Antiquitate* gaudent, de quibus hic §. quos iterum subdividimus. Alii namque aliud quid à Gothicis tractantes rebus, pleraque sivè ob nexum materiæ, sivè insinuante se occasione, hinc indè scriptis insperserunt. Alii res ex professo Gothicas tractantes, pressiùs materiæ institerunt. Utrosque hic suâ serie recensemus. Priores sunt *Herodotus*, *Pytheas*, *Timæus*, *Ptolomæus*, *Plinius*, *Svetonius Tranquillus*, *Pomponius Mela*, *Ælianus Spartianus*, *Julius Capitolinus*, *Flavius Vopiscus*, *Eutropius*, *Trebellius Pollio*, *Severus Sulpitius*, *Prosper*, *Strabo*, *Solinus Herodianus*, *Heráclitus*, *Diodorus Siculus*, *Justinus*, &c. &c. Quibus adde *Eusebium Cæsariens.* *Hieronymum*, *Volcatium Gallicanum*, ut cæteros fama minor teneat silentio. Posteriores sunt, iique notæ non infimæ: *Dion. Cassius de rebus Geticis.* *Deugippus de iisdem*: *Ammianus Marcellinus*, cujus libri priores cùm perierint, in posterioribus plurima gentis hujus bella, fusè exponit. *Idacius* Seculi V. Scriptor Chronicon Gothicum proposuit. Non inelegantes hac de re *Sidonii Apollinaris* exstant narrationes. Nec inelegans *Claudiani Poëma* de bello Getico contra Alaricum. *Jornandes* quoque Præsuleæ Vir Authoritatis gesta Gothorum libris complexus est duobus: quæ ad Annum Christi deduxit DLIV. excipiente Lampada, *Agathiâ Smyrnæo*, qui ad Annum DLXVI. continuavit. Tandem *Procopius* Anthor Græcus bella Gothorum Vandalorumque composuit. *Aurelius Cassiodorus*, calamo eadem sociavit Romanis.

A A. Veteres, qui ex occasione tractârunt de Gothis.

A A. Veteres, qui ex professo tractârunt.

§. II. Proponuntur è Recentioribus præcipui Rerum Gothicarum Auctores.

IN secundam veniunt classem Auctores, quos eruditior protulit ætas; cui par erat animus, scribenda agere, & acta scribere. Hinc ut Historiophilis, ita Historiographis, magis quàm vetusta abundabat. Hos quoque partimur bifariam: Alii siquidem in rem suæ gentis toto calamo desudantes, Rem Gothicam vel attigerunt tantùm, vel fu-

Scriptores Recentiores, qui ob nexum materiæ scripserunt de Gothis.

siùs

ſiùs pro rei exigentiâ tractârunt, ſed non niſi ut ſuæ innexam materiæ. Alii in rem gentis Gothicæ omnem vel potiorem animum calamumque intenderunt. Priorum ſeriem propoſituri, ab gente Patria, *Poloniarum* Regno exordimur. Multa de Gethis vetuſtiſſimus Scriptorum Polonicorum Vincentius *Kadlubko*, poſt hunc Matthias *Mechovius*, præcipuè ac magis accuratè Martinus *Cromerus*, qui ferè principis Hiſtoricorum Pol. nomen meruit. Quem ſecuti Stanislaus *Sarnicius*, Lucas *Piaſecky*, Joannes *Dlugoſſus*. Huc referendus Albertus *Gvagninus* in Sarmatia Europæa, cujus libros tamen ſibi vendicat Matthias *Strykowsky Oſſoſteviæus*, Canonicus Samogetiæ. [a] Jodocus Ludowicus *Decius* in Vetuſtatibus Polonicis. Albertus *VViiuk Kojalowicz* in Hiſtoria Lietvaniæ. Omnes hi Gothorum in ſuis ſcriptis meminerunt. Conterranea Poloniæ *Pruſſia*, Auctores producit Eraſmum *Stellam*, Simonem *Grunovium*, Caſparum *Schytzium*, Thomam *VVaiſſelium*, Caſparum *Henneberger*, Georgium *Rhanis*, Joannem *Daubman*, Joannem *Leonem*, Philippum *Cluverium*, Reinholdum *Curike*, Chriſtophorum *Hartknoch*. In annalibus, Chronicisque Pruſſicis. Profert *Pomerania* Danielem *Cramerum*, Joannem *Micrælium*, in ſuis annalibus. *Boemia* Joannem *Aubanum*, libro de moribus Legibus ac Ritibus omnium gentium. *Hungaria* Antonium *Bonfinium*, in ſua Republ. *Svecia Daniaq;* Albertum *Kranczium*, Olaum *Magnum*, Joannem *Magnum* in Vandalica, Gothica, Danica Hiſtoriis, item *Saxonem* Grammaticum, Joannem *Martini*, Marcum *Adami*, Joannem *Loccenium*, Rutgerum *Hermannidem*, &c. &c. Sed potiſſimùm *Hiſpania* cujus Acta, qui conſcripsêre, Gothorum acta ſimul notaverunt. Ii ſunt: *Antonius* Archiepiſcopus Florentinus, in Catalogo Regum Gothorum Vandalorumque; Hieronymus *Zurita*, Stephanus de *Garibay*. *Zamaloa Cantaber*; Joannes *Mariana*, *Victor Toletanus*; *Joannes* Abbas Wiclarienſis. *Florianus Oecampus*, *Julianus* Diaconus Toletanus in Chronicis Hiſpanicis. His adde *Cælium* de Theodorico Gothorum Rege. Neque prætereundus *Æneas Sylvius*, Romanus poſtea Antiſtes dictus *Pius II.* His accenſendi *Nicolaus VViſmarus*, in navigatione Balthica; *Goropius Becanus* in Venedicis; *Hugo Grotius* in Prolegom. ad Hiſtoriam Longobardor. Gothorumque. *Philippus Melanchthon* in Chron. *Daniel Heinſius* in Laudibus Guſtavi Magni. Tandem ut multos præteream, *Caſparus Dankwerth*, *Georgius Hornius*, &c. &c.

& quidem Poloniæ. — Pruſſiæ. — Pomeraniæ. — Boemiæ. — Hungariæ. — Sveciæ & Daniæ. — Hiſpaniæ. — Diverſarum gentium.

Qui verò de Hiſtoria Gothica amplius mereri ſtuduerunt; ii ſunt: *Iſidorus* Hiſpalenſ. Epiſcopus. Quem ſequitur *Helmoldus* in Chronico Slavorum, notis illuſtratus ab *Henrico Bangerto*. *Adamus Bremenſis* & *Oroſius*, Auctores notiſſimi. *Victor Uticenſis* de perſecutionibus Vandalorum; *Philippus Calimachus* de rebus Attilæ, Commentariis *Q. Æmilii Cimbrici* exornatus. *Leonhardus Aretinus* & *Guido Ravennas* de bellis Gothorum; *Carolus Sigonius* de rebus Longobardorum. *VVolfgangus Lazius* de Migratione Gentium. *Maximus Cæſar-Auguſtanus* de Geſtis Gothorum in Hiſpania, &c. &c. plurima nobis de hac gente notanda reliquerunt.

Scriptores Recentiores, qui data opera tractârunt de Gothis.

[a] De quo legendus Chr. Hartknoch in Diſſert. I. Antiquit. Pruſſ. p. m. 13.

§. III.

§. III. *Quanta Geographiæ sit Necessitas, Utilitas, Difficultas?*

TOt tantorumque Virorum nomina, quot §. superioribus recensuimus, quantùm posteritati, quantùm Patriæ, quantùm sibi ipsis prospexerint; erudito Orbi palam est. Nunquam tamen aut de publico posterorum bono, aut de gentis suæ gloria, aut de Virtutis famâ mereri tantùm potuissent, suffragantibus etiam labori ingeniis; nisi perspectam ante Geographiæ scientiam tenuissent. Neque enim perfectum probatumque opus in lucem edi tradique successoribus poterat, nisi esset illa Historicæ veritati prodroma, Dux comesque recti operis. Quis enim inoffenso pede gesta gentium Regnorumque decurret, cui nulla locorum nulla terrarum vel primis degustata labris sit notitia? in quibus tamen ea gesta sunt, quæ sibi obvenêre scribenda narrandaque posteris. Certè nisi à Geographo didicerit, aut ipse, quod arduum est, noverit locorum situs, facilè in tam arduo impinget, ac deviabit opere; in quo tanta rerum occurrit varietas, non aliter, quàm ubi gestæ sint narrandarum. Ausim dicere; frustra affectat Officium, attentat negotium *Historici*, cui nullum Geographiæ studium aut exiguum est. Ludit operam, perdit oleum, quisquis Geographico destitutus lumine tantum aggreditur opus, in quo recta progredi non permittitur, absque prævio illius scientiæ lumine; nisi Andabatico an Talpæ progressu uti libuerit. Scilicet scriptori rerum, locorum scriptor velut phosphorus præfulgeat necesse est. Quinimò neque *aliæ scientiæ* absque remora vel errore amplissima studiorum suorum stadia decurrere queunt, si peritissimam scientiæ hujus manuductionem excluserint. Sanè illud avidis sectati sunt animis, non tantùm *scientiarum* sed & *terrarum Principes*. E quibus Antiquiores primùm profero. Ægyptiorum Rex *Neco*, *Phœnicum* suorum adhibuit operam, ut universum *Africæ* latus extimum exploraret. Integrum triennium explorando impendit. *Magnus Macedo*, cùm in Asiam arma expediret, duos secum mensores duxit, ac descriptores itinerum; quorum alteri *Diogmetes*, alteri *Beto* cognomen fuit. Consimiles *Darius* viros adhibuit ad scrutanda *Indi* fluminis ostia ac *Æthiopicum Mare Orientale*. Jam, quos ætas Plinii tulit, spectavit Roma primum ex Augustis *Octavium* Imperat. Ejusque generum coronatum *Agrippam*. *Jubam* Mauritaniæ, Regem. Ut cæteros cùm dignitate tùm eruditione Illustrissimos taceam Heroes, qui utriusque scientiæ conjugium egregiè amplexi, auspicatos inde ad Rerum publicarum Regimina fecêre progressus. Ita scilicet Viri Principes, necessarium sibi, commodum Reipubl. studium id existimârunt, æstimâruntque adeo ut crediderint, fortunam belli absque eo integram non posse consistere. Tandem ut cætera mittam calamo; curiosa mortalium Mens, quantum hoc studio oblectetur, quantum capiatur imò rapiatur, quodam veluti attracta *magnete*, facilè intelligit, quisquis illi animum semel tradiderit, vel saltim crediderit. Politioribus certè ingenitum mentibus est, cùm Patrii tùm Orbis exteri situm, res, eventa contemplari. Talia

Geographia lumen Historiæ.

Scientiarum adjumentum.

Principum virorum negotium.

Generosarum ac Curiosarum mentium Magnes.

Palmam offert Græcorum ingeniis. *Anaximander primus celebrisq; Geographus.* *Romani Græcorum sequaces.* *b. lib. 3.* *Geographiam adhibent bellorum prodroma.* *Luculli Porticus.* *Quantum Geographiæ pretium Romanis.* *Sensus Plinii de Græcorum Geographia.*

Talia noster scire avet ambitque animus. Atque in hoc præstantis scientiæ studio, laudis cupida *Græcorum ingenia* palmam cæteris præripuisse videntur ingeniis. Immensus nempe sciendi fervor curiosas mentes ad exteras extremasque terras cognoscendas, abripuit duxitque per immensa, æquorum, viarum ardua, locorum abdita ingentibus contendentes ausis & operis. Inter quos *Anaximander* multorum calamis celebratur, quod universi primus terrarum ambitûs dimensionem ac descriptionem, attentaverit, teste *Varenio* in Geograph. Gen. Vixit is seculo fere V. ante Numinis incarnati natales. Græcos *Romani* comprimè secuti, non tamen, fatentibus ipsismet, assecuti sunt. Testatur *Strabo*, quia ita *b Romani*, inquit, *Scriptores imitantur quidem Græcos. At non ita multùm. Nam quod tradunt, à Græcis transferunt. De suo parùm cognoscendi sunt studiosi. Itaq; ubi Græci deficiunt, haud multum est, quod ab illis expleatur.* Illud nihilominus negare non possumus, Romanos in describendis terrarum Regionibus præclaro negotio interdum occupatos fuisse: Illius nam Provinciæ, quam adjicere Imperio contendebant, Geographiam in tabula expressam, notisque illustratam, insignibus spectandam in triumpho præsentibus proponebant. Insuper in *Porticu Luculli* plures Geographicæ tabulæ omnium conspectui erant expositæ. Adhæc *Senatus Romanus*, anno ante divinos natales circiter centesimo Geometras ac Geographos, in diversas ablegavit terras, ut eas attentiùs contemplati, tabulis mandaret describendas Verùm vicesima terrarum pars vix ab iis lustrata fuit. Hinc prima venit gloria Græcis, quibus etiam ipsi Romani subscripsêre. Certè *Plinius* aliàs in describendis regionibus solertissimus, fatetur se secutum Auctores Græcos, quos idem recenset, scil. *Eratostenem*, *Theopompum*, *Herodotum*, *Ctesiam*, *Timæum*, *Hecatæum*, *Xenophontem*, *Lampsacenum*, *Onesicritum*, *Megastenem*, *Eudoxum Artemidorum*, *Dicæarrhum*, *Isidorum*, *Pitheam*, *Metrodorum*, *Hellanicum*, *Serapionem*, *Hipparchum*, *Damastem*, *Clitarchum*, *Posidonium*, *Hannonem* & *Himileonem*, &c. Romanorum vestigia, aliarum scriptores gentium presserunt, derivatâ è Latio in terras suas scientiâ; sed dum ea pressiùs imitantur, premunt unâ cum vestigiis Romanorum errata; Delphica rati oracula, Romanæ sapientiæ documenta; à quibus recedere grande nefas crediderunt.

§. *IV. Lapsus Veterum Geographorum notantur.*

Errores Ptolomæi Geographorum Principis.

ETiam siderum Ecclypses notamus. Laborantem Lunam sæpiùs conspicimus. Ipsius Astrorum Principis non defectus tantùm, sed maculosas etiam notas intuemur. Neque miremur, si idem in scientiis quod in cœlo, idem in scriptoribus, quod in sideribus contingat. *Ptolomæus*, quem Vetustas Numinis instar adoravit, ætas postuma eruditissimum suspexit, à cujus ore ita universi dependent Geographi, ut facilè suum venerentur Principem, sentiantque ejus unius sensu sensa omnium corrigenda; Ille, inquam, Ptolomæus in opere suo *Geographico* (nihil hìc de ipsius *Mathesi*) non parum videtur defecisse. Ita nimirum naturâ comparatum est, ut nullus ab omni parte beatus, nullus ab omni errore absolutus sit. Non è mortalium numero

mero eſt, qui mortalium neſcit defectus, Poſitum ſub ſole degere, & lapſui non eſſe obnoxium; inſolitum terris prodigium eſt, neque hactenus viſa Phoenix. Atque ita Numen illud veterum Geographorum omnium nobiliſſimus *mortalem* ſe, i. e. ſubjectum errori, in demonſtrationibus ſuis demonſtravit, cùm non remotiora tantùm, ſed etiam vicina ſibi loca, neque procul à *Nili* oſtiis *Peluſioq.* ſuo diſſita, minus rectè obſervaverit, aut falſis deluſus Topographicis, ſitus illorum confuſè deſcripſerit. *Cyprus* præ cæteris defectus tanti auctoris loquitur. Ita ille deſcripſit Inſulæ hujus portus & oppida; ut ſi cum Strabone eum contuleris, advertas facilè, quantum ipſi in remotiorum deſcriptione terrarum fidendum ſit? Deſcriptio enim, quam Strabo proponit, planè cum præſenti Inſulæ ſtatu convenit. Notandus & ille error, quem in deſcriptione Galliæ auctor idem commiſit; dum *Angiers*, (olim *Juliomagum*) Andegavorum metropolim V. Millibus paſſuum ab Ligeri in ſeptentrione diſſitum ponit, cùm tamen in ipſâ fluminis ripa hodie conſpiciatur. Præterea *Nantes*, Nannetum populorum caput, inquit idem, accedere propiùs ad Sequanam, quàm ad Ligerim: cùm tamen non procul ab ora Ligeris ſitum reperiatur. Qui plures tanti Viri defectus deſideraverit, conſulat *Cluverium* in Germ. Antiq. *Hornaum* in Origin. American. Nimirùm ſtupenda etiam ingenia frequenter deficiunt, & magnis mentibus labi graviùs contingit. Quod Geographorum Principi, idem evenit ſequacibus, ut in ſuis aberrârint deſcriptionibus. *Pomponio Melæ*, quanquam ſatis animi ingeniique fuerit, ad clariſſima quæque ſtrictim dicenda; graviter tamen ille in deſcriptione *Italiæ* aliàs notiſſimæ ſibi telluris aberravit: ponit is *Senogalliam*, ad *Alterni* (hodie Peſcara) oſtia; cùm tamen C. Millibus paſſuum ab illis diſtet. Neque fortunatior *Plinius*, exactiſſimus alioquin Geographus, etiam ille in ejusdem Italiæ deſcriptione *digeſtionem Auguſti* ſecutus non facilè ſitus ac origines Terræ proſecutus eſt, ſuomet Auctoris teſtimonio. *Strabo* quoque nominis eruditi Vir, unius tamen *Polybii* auctoritate fretus, multa pro veris falſa reputavit, vera pro falſis refutavit. *Julius Cæſar* olim jam ab *Aſiniis*, altero *Quadrato*, altero *Pollione*; deinde à *Strabone* & cæteris ſæpius in errore deprehenſus, de negligentia reprehenſus eſt. Ea eſt Veterum AA. Geographia; ea certitudo dogmatum; ut non immeritò, docti ac eruditi Viri, à Geographiæ ſtudio longiùs remoti eſſe ſtuduerint; difficultatem illius ſcientiæ reveriti, aut certè rerum viciſſitudinem, quæ in ipſa terrarum undarumque ſpatia extendit Imperium: Ut ubi olim æquor, nunc Inſulæ; ubi flumina olim, nunc terræ: & converſo ordine, conſpiciantur. Hinc Romanus Orator *Tullius* ita ad Atticum: *A ſcribendo porrò abhorret animus: Etenim Geographica, quæ conſtitueram: magnum opus eſt. Ita valdè Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Serapione & ab Hypparcho reprehenditur. Et Hercules. Sunt res difficiles ad explicandum,* &c. Agnoſcit perplexitatem hanc citatus *Mela*, in præfat. Operis Geograph. *Orbis ſitum dicere aggredior, impeditum opus, & facundiæ minimè capax. Conſtat enim ferè ex gentium locorumq. nominibus & eorum*

Primus.
Secundus.
Tertius.
Error Pomponii Melæ.
Plinii.
Strabonis.
Julii Cæſaris.
Senſus Tullii Cic. de Geographiâ.
Senſus Pomp. Melæ.

B perple-

perplexo ſatis ordine, quem proſequi &c. Quæ tamen omnia ita à me accipi velim, ut omnem Ariſtarchi cenſuram procul removeam. Proponenda ex Auctoribus propoſui, conſcius ipſe tenuitatis meæ, nec immemor mortalitatis erroneæ. Per me maneat ſua cuique laus, honorisque præmium, cui tanta ingenia, improbo ſed poſteritati utiliſſimo labore deſudârunt.

§. V. *Defectus Recentiorum Auctorum notantur.*

NEque Recentiorum tam auſpicata prodiêre ingenia, ut immunes ab erratis ſententias nobis propoſuerint. Trahunt nimirum poſteri à majoribus vitia, dumque virtutem contendunt exprimere, etiam defectus exprimunt. Ita Succeſſores Veterum Geographi, dum ſibi diverſos quisque pro ſuo genio & placito Auctores imitandos ſtatuunt, perplexam nobis in hâc ſcientiâ relinquunt veritatem. Et eſto nonnulli ab Antiquitate diſſentiant, novum aliquid afferentes; nihilominus illa quæ afferunt æquè obſcura & difficilia ſunt, ut interdum mera videantur ænigmata, rerum veritatis ſcrutatori; niſi antè utrorumque ſcripta attentiùs contulerit, perque altera expoſuerit altera. Quis verò tam immenſi laboris opus facilè aggrediatur ? Equidem tentârunt hactenus nonnulli præcipuæ Eruditionis laborisque Viri: è quibus *Abraham Ortelius* in Theſaur. ſuo Tabulisque Geograph. primus cenſendus eſt. Sed quid præſtiterit, ipſe, quem præfixit operi, Titulus palàm indicat: Vocat enim illud; *Parergon laborum Geographicorum.* Et profectò non pauca ibi ſe offerunt, quæ jure ad trutinam imò cenſuram vocentur. *Magni* tamen *Geographi* nomen à Doctis meruit, quia nemo, judice Cluverio, eô major, quem & cæteri ſeqvuntur; ita tamen, ut etiam erratis ejus inhæreant. Sed manet ſuum Virum gloria, qui graviſſimis aliis diſtentus negotiis, aliaque ex officio profesſus ſtudia, tantum aggreſſus eſt opus. Diligentem ſanè animum ſcripta Veterum poſtulant; non enim levi ſtudio aut exiguo labore, plena tam arduæ ſcientiæ cognitio acquiritur: potiſſimùm ſi totius Orbis deſcriptio, uno eodemque ſolido opere comprehendenda ſit. Quod equidem de nobiliſſimo Geographo *Georgio Mercatore*, literatus Orbis ſperare potuit; ac niſi propera eum fata ſibi eripuiſſent, meritò exſpectare. Ex ungve Leo noſcitur, magis ab exuviis. Documenta Viri Tabulæ Geographicæ, quas neſcio quis Virorum notis exornavit, demonſtrant ingenium operamque Auctoris, mentemque indicant, quo ſi ſe ſuperſtitem dediſſent Superi, intenderit, quidve aggredi voluerit. Idem ſperare poterat à *Bernardo Varenio*, præſtantis ingenii Viro, olim Profeſſore meo, qui ſuppare labori conatu, ſimile aggreſſus eſt opus, ſed morte præventus, minimè illud exequi potuit. *Philippus Cluverius*, inſignis, me judice, Geographus rem præſtitit operamque præclaram, in *Antiqua* ſua *Germania*, in qua graviſſimi Auctoris *Taciti* tractat. De Germania curioſè ſatis, deligenterque expoſuit. Verùm cùm Tacitus certam locorum longiùs à ſe diſſitorum non habuerit notitiam; neceſſe eſt etiam Cluverium Auctoris tanti in omnibus ſequacem erraſſe.

Abrahami Ortelii defectus.

Georgii Mercatoris Opus & Intentum.

It. Bernhardi Varenii.

Philippi Cluverii Defectus.

De

De quo fusiùs in seqq. De cæteris præcipuè Danicis Svedicisque Scriptoribus, ut sunt *Magni*, *VVormius*, *Kranzius*, *Dankwert Loccenius*, *Hermannides*, &c. Idem mihi dicendum venit quod & de aliis sentiendum. *Doctos eruditosq; Viros* non diffiteor plurimamque egregiè operam navâsse, plurimùm tamen aut libertate nimiâ, aut amore Patriæ aut aliorum auctoritate abrepti, diversas è loco suo moverunt regiones, easque in Patrio collocârunt solo, merâ sæpissimè consimilis vocis allusione delusi, quod in sequentibus demonstrabitur. *Svecia Scriptorum.*

§. VI. *Quanta difficultas sit in describenda populorum Antiquitate.*

QUàm operosum ac difficile sit, de antiquissimis populis historiam texere, patet ex supradictis. Tot namque ac tanti interveniunt scopuli, in hoc scriptionis pelago, ut facilè ad eos allidi possit. Scriptorum quidem non deest copia, sed ipsa plerumque copia parit inopiam, dum ex tot AA. minus exacta Geographicorum provenit notitia. Scilicet contenta est, posteritas auctoritate Majorum, quos sequi unicum est, ac potissimum posthumæ fidei Argumentum. Quòd si qui ampliùs quid tentare voluerint, ea est præsentium infelicitas temporum, ut suis desint Scriptoribus Patroni, Phœbis Mœcenates, qui æquis tanto studio suffragentur impensis. Verissimum profatus Cluverius in Præfat. Germ. Antiq. *Cùm tanta sit hujus scientiæ facultas, tantusq; in ea comparanda labor, haud par sit mirari, minimè hactenus in tanto doctorum virorum numero repertum esse, qui suscipere eam dignatus sit, eo præsertim seculo, quo raro quis literarium aliquod studium, alio arripit animo, quàm si opificium aliquod discendum sit, quo postea victui necessaria quærat.* Adeò politioribus & abstrusioribus literis Mœcenates desunt, qui earum cultoribus digna præmia proponant. Insuper ipsa rerum perplexitas removet aut retardat scriptorum animos, quibus non semper integrum est, de obscurissimis, adeoque incertis sensum proferre historicum. Magno *Ortelio* satius erat, *aliorum sententias legere*, judiciumque de iis Lectori committere, quàm sensa mentis suæ in referendis difficultatibus pro Sibillinis venditare oraculis. Meruit proinde à magnæ eruditionis Viro Cluverio, *bonus* audire *Grammaticus*, non item Geographus. Quanquam eam sibi assumit licentiam, inerudita dicacium Zoilorum lingva, ut omnia facilior sit reprehendere, quàm similia edere; immemor moniti illius sibi à Poetâ dati: *Carpere vel noli nostra, vel ede tua.* Tandem Veterum libri plerumque vitiati habentur: resque illorum ac sensus, *Typographorum* injuriâ, aut incuriâ depravati existant. Prout citatus à me toties & laudatissimus *Cluverius* in Tacito Historicorum nobilissimo, non semel observavit. Hinc tanta in Historicis ac Geographis orta confusio, ut non facilè se ab ea Lector expediat. Experitur, quisquis Antiquitatis seriò indagat Veritatem.

Defectus Geographorum causa, Patronorum defectus.

Difficultas scientiæ.

Ortelius Collector Auctorum.

Zoilorum Lingva.

Typographorum incuria.

§. VII.

§. VII. *Proponuntur Causæ perplexitatum inter Historicos & Geographos occurrentium.*

MIssis in præsenti Auctorum confusionibus, quæ in diversis occurrunt materiis; in nostra eas, earumque causas proponimus materia. Confusam Orbis Gothici descriptionem Antiquorum calamus nobis prodidit in describendis Europæ Asiæque terminis minus accuratus. Affirmat id probatque suo calculo Doctissimus Cluverius, dicens: *Nullo seculo neq; ab antiquissimis neq; novissimis scriptoribus, rectè terminum inter Europam & Asiam fuisse proditum.* Scilicet septentrionalis plaga nunquam satis comperta Veteribus fuit. Cùm autem Gothi à terminis Europæ Septentrionalibus prodierint, illique termini non satis olim cogniti fuerint, necesse est, in descriptionibus Locorum gentis Gothicæ, non parùm exerrâsse Veteres, quos ut certissimos, fallique nescios, citra ullam rerum trutinam, veritatisque disquisitionem secuti posteri, iisdem inhæserunt erroribus, atque eandem scriptis suis perplexitatem intulerunt.

1. Causa. *Septentrio, unde prodierunt Gothi, non satis cognitus Veteribus.*

2. *Prosopolatria AA. Veterum.*

Auxit eam Veterum confusionem quædam *Prosopolatria*, qua uni virorum, vel alteri etiam minus docto, magis dediti, eam scientiæ indiderunt opinionem, ut veluti perfectissimo Magistro adhærentes, eum sibi unicum proposuerint imitandum. Hinc suo decepti sensu, dum plausibili conatu in suis videntur progredi sententiis, fœdè in devia abrepti, per ingentes errores, tantam scriptis suis induxerunt confusionem.

Probatur Exemplo à descriptione, Maris Caspii desumpto.

Rem demonstro exemplo proposito in Mari Caspio S. Hyrcano; quod impermistum Mari reliquo existere, extra dubium est, fuitque olim, ex antiquitate præcipuis, Herodoto, Aristoteli, Diodoro Siculo, Ptolomæo. Ocularis nunc demonstrat experientia, firmat communis sensus. Nihilominùs tanta fuit unius Patroclis, qui in iis oris Præfecti officio fungebatur, auctoritas, ut posterioribus etiam seculis scriptores ad se traxerit; maluerintque Strabo, Mela, Plinius, cum Patrocle opinari ac errare, quàm sequi patentem & potenti adhærere veritati. Scilicet Patrocles αὐτὸς ἔφα. Ille fuit, cui omnis debebatur fides, certiora verioraque locutus præ reliquis; à quo recedere crimen erat.

3. *Incerta Romanorum militum relatio & Topographia Castrensis.*

Quid? quod ille sit narrantium mos, ut accepta ore tradant aliis: idem & scriptorum, ut accepta similiter, calamo excipiant tradantque posteris. Romanis id potissimùm tribuitur, quòd *multa ab ore militum, multa è Topographia Ducum Castrensi* transmissa in Urbem acceperint. Quæ omnia omnino citra errorem esse non poterant, quæ sub belli tempus aut narrabantur aut notabantur: non enim terræ hosticæ tractus, videri benè aut notari poterant; multò minùs penetrari, cum insidiarum metu, tum difficultate locorum, tum injuriâ temporum. Et tamen non alia Ptolomæo, Tacito, Plinio, gravissimis aliàs Scriptoribus Historicæ veritatis erant fundamenta.

4. *Scriptorum Calamus adulatorius Romanis Impp.*

Mitto, quòd plerique AA. scenæ ut dicitur, sive tempori servierint; ad *Principum palatum stylum accommodaverint*; quorum gratia, quia privatorum fovebat vel augebat commoda, scriptorum calamum tenuit, mentemque subditam: ut non quod sibi

visum

visum fuerit, placitum veritati; sed quod Imperatorum auribus arriserit, scripto mandarent. Is est genius captivarum auro mentium, ea veritas corruptorum spe munerum, vel muneribus Auctorum. Ita profectò Trebellium Pollionem, refert Vopiscus, ad Claudii Imper. mentem temperâsse calamum; ut, non quod Historico licuit, sed quod adulatori libuit, id calamo tradiderit. Illud notandum venit nec improbandum; quod, cum ambitiosa Romanorum gens Monarchicum Imperium, in omne duraturum ævum crediderit: (Hinc Basilica æternæ Pacis, ac Virginis pariturae templa, illud in Urbe, hoc in Arce) facilè per Imperatores suos Terrarum Principes, Scriptores induxit, ut pro Gentis suæ Nominisque gloria, scripta in publicum ederent, Latiumque cum Nomine idioma, in extremas gentium proferrent oras, peregrinis nominibus in patrias deflexit voces. Imò universæ ferè gentes eò laborant naturæ vitio, ut gloriæ honorisque avidæ originem suam, ad antiquissimos & nobilissimos populos referre studeant. Indè fit ut apud AA. detortæ vocum inflexiones ac derivationes nominum, in suam rem adinventæ futilesque Interpretationes reperiantur; Unde ingens Historiarum & Historicorum orta est perplexitas. Sed & mensurarum diversitas non exiguam Auctoribus difficultatem, Lectori confusionem attulit: cùmque Locorum quantitas æquè in Geographico ac Historico opere maximè observanda sit; minùs à Scriptoribus observata est. Certè non eadem mensura Romanis, quæ Græcis fuit: pedem namque Romanum Græcorum pede majorem fuisse testatur Gellius; Inde Græcis stadium fuit pedum 90. Romanis 85. Consulatur hac de re Herodotus. Quid? quod nec ipsi AA. Græci, à quibus Latini plurima mutuârunt, in mensurationibus sibi constent: Est, inquit Plutarchus, milliare octo stadiis paulò minùs. Cui ferè consentit Suidas asserens; septem stadia cum dimidio facere Milliare unum. Polybius tamen apud Strabonem, Milliare, ait, plus paulò esse octo stadiis. Idem alibi priori sibi dissimilis; per octona, inquit, stadia Romanos omnia intervalla dimensos esse. Ubi loquitur de via, quæ ab Hispaniis per Gallias ducit ad Alpes. Ita & Dionem Halicarnassum cæterosque in dimentiendis locorum spatiis, sæpius errâsse, plurimi accuratiores conqueruntur. Jam quæ nobis afferri certitudo potest, ex tot Auctorum differentiis, in commensuratione distantiarum, loci unius ab altero?

5. Idem Calamus corruptus ab ambitiosa Romana Gente per Imperat.

6. Amans Patriæ laudis Calamus.

7. Mensurarum inter Gentes, potissimùm Romanas & Græcas diversitas.

Diversi Græcorum sensus de suis mensuris.

§. IIX. *Expediuntur reliquæ Perplexitatum Causæ.*

AD Gothorum gentem Calamus redit; quæ cum plerisque Veteribus Scytharum nomine venerit, ex malè designato Scythiæ populorum situ: haud exiguam necesse erat in designando populorum Gothiæ, sequi confusionem. Græci potissimùm Scriptores, liberales admodum exstitère in collocandis Scythicæ gentis regionibus: siquidem juxta illos, *omne id, quod ultra Emaum, Emodumq; montes, Mare Caspium, Caucasia juga, Pontum Euxinum, Istrum amnem & Alpes & Mare internum situm est. Antiquis venit Scythiæ*, Strabone teste. c Scythiam

8. Scythiæ, quo nomine venit Antiquis Gothiæ, situs non satis cognitus.

c lib.7.& 11.

Scythia tripartita. thiam sic acceptam, iidem diviserunt trifariam: In *Arimaspos*, *Sarmatas* & *Hyperboreos*: sub quibus ultimis *Illyrios*, *Germanos*, *Gallos*, *Hispanos*, *Britanos* & *Cimbros* comprehenderunt. Ita citatus Strabo [d] & Plutarchus. [e] Unde & Plinius [f] *Scytharum*, inquit, *nomen usquequaq; transiit in Sarmatas & Germanos*; *nec aliis prisca duravit appellatio*, *quàm qui extremi harum gentium*, *ignoti prope cæteris mortalibus degunt.* Ex quo Plinii textu satis colligitur, sub illius tempora, Sarmatarum nomen, non *Nomen illius Romanis cognitum, non locus.* sedes fuisse cognitas Romanis; immò nec sequentibus seculis: cùm plerique A A. non aliter Sarmatarum, quàm sub Scytharum nomine meminerint; totumque illum terræ tractum ab Istulâ ad Istrum, Oliumque flumen, *Celto-Scytharum* nomine appellârint. Quis autem has *Etiam ipsa Germania non satis olim fuit cognita.* gentes populosque inter Scythas modò numeraverit? [g] Quid? quod ipsius Germaniæ, licet tot tantaque bella, in & cum eâ Romani gesserint, imperfectam descriptionem habuerint. Evincunt id eorum Scriptores, qui Germaniæ terminos ad usque Dacos & Thraces protenderunt.

Quod verò terras, è quibus Gothi prodiêrunt, Antiquitas Scriptorum ignoverit, ipsa illorum testantur scripta, quæ sæpius illas etiam terras, quas Romani suo subjugârunt Imperio, non satis accuratè nobis proposuerunt: quî ergo illos locorum tractus, ad quos nec arma *In Gothia nunquam Romani bellârunt.* nec Imperium se extendit Romanum, cognoverint? Certè Gothorum terras nunquam Romani occupârunt; quamvis nonnunquam infestis in eas excurrerint armis, aut ad illarum confinia, cruenta cum iis bella gesserint; non tamen aut excursibus hisce, aut præliis, terrarum situs & incolas nosse poterant: maximè quod pleraque bella in debellatis à manu Gothica terris, inter quas Dacia fuit, Romani con- *Omnis terrarum Gothiæ notitia ex oribus militum.* fecerint. Ex quibus palam sequitur, Veterum scripta, quicquid de Gothis nobis proferunt, ex vaga hominum præcipuè militarium narratione, aut bello captivorum relatione accepisse, qui locorum gnari omnium ac populorum, vix fuisse poterant. Hinc est, ut tanta in Auctorum scriptis sententiarum diversitas exstet; quanta in referentibus, malè cognita, vel ab aliis accepta, exstitit; in quibus cùm sæpius sibi ipsis contradixissent narratores, simile in Auctores vitium refuderunt, tantam scilicet rerum confusionem & incertitudinem. Exemplis rem declaro. Narrat *Tacitus* de *Naharvallis*, conterminis Istulæ populis, quod Castorem & Pollucem venerentur. Id *Diodorus* Siculus *Celtis*, Oceani accolis, tribuit. *Volaterranus* Gallis Germanos commiscet, utriusque gentis confundens nomina. Cui consentit *Diodorus*, *Sicul.* [h] & *Glareanus* [i] *Dioni*, *Daci* sunt *Getæ*; qui *Aelio Spartiano Germani.* *Auctorum contradictio.* At quæ major confusio, quàm cùm idem à se dissentiat Auctor? Hoc nimirum est, propriis se oppugnare armis. *Basternas* tamen Strabo [k] removet à mari simulque admovet. *Tacitus*, [l] & *Mela* [m] narrant, *Germaniam*, *quà respicit Gallias*, *esse humiliorem*; *quà Noricum & Pannonias*, *ventosiorem*, potius legendum est, *Montosiorem* esse: cùm tamen, præterquam quod ocularis experientia aliter demonstret; ipse Tacitus lib. c. fatetur, etiam quà Gallias spectat, maxima parte esse montosam,

d c. l. *e* lib 2 in Mario. *f* lib. 4. c. 12. *g* Cluver lib. 1. c. 11. *h* Diod. lib. 5. *i* in Comment. ad Tacit. *k* lib. 7. *l* c. l. de Mor. Germ. *m* lib. 3. c. 3.

ſam, à fonte Danubii ad Roram usque fluvium. Idem *Tacitus* cum *Plinio Baſternas* in Germania collocat: quos ab illa *Strabo* removet, diverſamque gentem conſtituit. Similem olim notârunt errorem in *Julio Cæſare*, *Aſinii*, *Quadratus & Pollio*. Notandum certè & mirandum, quòd tantus Auctor & Imperator, *Aquitaniam*, in qua toties ipſe bellavit; errore grandi inter Garumnam amnes & Pyrenæos montes concluſerit. Multis quoque involvit ſcripta difficultatibus, plurima Auctorum licentia in mutandis populorum locorumque Nominibus, jam per adjectionem literarum, jam per rejectionem, vel aliarum ſubſtitutionem: & tamen litera etiam immutata plerumque immutat Lectorem. Ita ſcil. *Baſternæ*, *Baſtarni* & *Burſtarni* aliis, aliis *Batarnæ*, *Baſtæ* aliis ſivè *Baſtini* dicti. Ita *Finni* jam *Binni* & *Fenni* jam *Vinæ*, *Vini*, *Vinni*, *Vinuli*, jam *Vendi* & *Venedi* audiunt. Ita Viſtula noſter, prout nunc à Doctis audit, Plinio *Viſtillum* eſt. Aliis Jaſtula, aliis Vandalus. Ita ex voce Obium reddunt alii Olbium, alii Albium, tandem Alpium. Hinc quod Straboni Alpia eſt, aliis Obium. Idem de reliquis terrarum populorumque nominibus ſentiendum, de quibus in Tractatu fuſiùs. Quis autem hodie Baſtarnas, quis Peucinos, Sidones Boranos, Vinulas, Carnuncios. Blemijas, Aeſtias, celeberrima olim gentium nomina, quis ſexcenta his ſimilia audiat, intelligat, aut uſpiam terrarum reperiat? Equidem non ſola Auctorum licentia ſed & populorum vendicat ſibi mutationis hujus ac perplexitatis partem. Non infrequens eſt Terrarum incolis, mutare etiam ex integro locorum nomina. Quod in Urbium, Pagorum, fluminumque appellationibus, etiam hodie ſpectamus. Ea ſcilicet eſt rerum ſub ſole viciſſitudo, ut ipſa etiam illarum Nomina mutentur; neque ſolum mobile ſit cum Principibus vulgus, ſed & vulgi placito appellationes locorum. Quinimo ipſa Nationum idiomata ei mutationi ſubjacent, ut ſi quis Antiquiſſimus, è cineribus ſurrexerit, vix idioma ſuum loquentes hoc ævo, intelligeret. Et illud non poſtremum eſt, perplexitatis tantæ argumentum; quod Romanis in more antiquis fuerit nonnullas alphabeti commutare literas, atque O pro U. B pro P. [a] &c. &c. &c. ſubſtituere. Sicque pro Vulgus Volgus, Obpono pro Oppono &c. &c. legere. Idem Græcis uſu evenit quibus commutatio literarum frequentiſſima fuit. Quod ſi iis in nativo tantùm licuit idiomate; quantò magis in peregrino?

9. Auctorum licentia in mutandis populorum locorumq; nominibus.

Populorum etiam licentia in iisdem mutandis.

10. Frequens Romanis Græcisq; literarum mutatio.

Accedit his, Scriptorum inadvertentia, deſcriptorum incuria, Typographorum inſcitia; ipſa etiam Vetuſtas literis obnoxia, frequentes ingeneravit ſcriptis errores, quâ obliteratæ paginæ legi facilè non poterant. Hinc fragmenta Veterum, defectus in verbis ac ſententiis, Notæ marginales, correctivas verborum ac explicativas, in antiquis legimus Auctorum codicibus. Extremum eſt, quod Veteres peregrina nomina, malè intellecta, malè explicuerint, adeoque res ſcripto confuderint. Ita *Obium* amnem dictum eſſe à montibus Obiis cenſuerunt; cùm longè ſit probabilius contrarium; Scilicet Montes Obii

11. Scriptorum Deſcriptorumq; incuria, cui acceſſit Vetuſtas.

12. Ignorantia peregrinorum Nominum in Auctoribus.

[a] Videatur Cnapius in additam. Lexici Polon. Latini.

Unde Obitus amnis?

Unde Nomades? Veteribus dicti Pastores.

Obii ab Obio amne dictos esse. Deducitur id ab antiquo Gothorum vocabulo, quibus *Obbe*, pro quo hodierni Samogethæ, Liethvani, Russi, Prussi *Ubbe* sivè *Uppe* eloqvuntur, fluvium denotat: nimirum, amnis ille καθ' ἐξοχήν dictus est fluvius, quod in partibus Septentrionalibus maximus fuerit. Ita Herodoto, Justino *Nomades*, vi vocis, dicuntur Pastores; cùm tamen vocabulum id Sarmatarum sit, atque etiam hodie Russiæ, Liethvaniæ, Samogethiæ, Prussiæ communissimum, aliud denotet. Non equidem nego, Nomades fuisse Pastores, sed non significari hac voce Pastores, verùm incolas villanarum ædium, quæ Tuguria sivè fumaria rectè dixeris. *Namai*, enim significat domunculam, in qua rusticantes coloni peculium resque suas habent, suaque perficiunt opera: Hinc Namaites, sicut hodie adhuc dicuntur, rustici talium domuncularum incolæ. In cujus pronunciatione vocis, ā producitur longiùs; i adjectum quasi absorbetur. Inde Namates, veteribus Nomades, dicti Pastores. Et hæc, me judice, sufficienter demonstrant causas perplexitatum, quæ in Auctorum scriptis occurrunt frequentiùs. Sed sufficienter excusant, tum Veteres, tum Recentiores; quòd minùs Doctorum expectationi responderint; non enim potuerunt certiora & veriora proferre, lingvarum notitiâ destituti.

ORBIS

ORBIS GOTHICI,
LIBER I.

ORbem Gothicum, historico non tam exprimere stylo, quàm rudi exponere calamo, aggredior. Illum equidem dignitas materiæ; hunc ipsa rerum laborisque amplitudo poscit: Illum Lectoris, cui offertur Eruditio ambit; hunc prærequisitorum defectus postulat, amat negotiorum longè à proposito diversorum interventus: illum maximè Majestas Principis, cui offertur, exigit; hoc potissimùm, virium ingenii tenuitas gaudet. Quid enim? neque mihi Atlantei humeri, tanto operi suppares; neque svada suppetit altior, neque Auctorum aut temporis copia: Orbem verò, in quo describendo, tot, tantorum Virorum ingenia, quot supra vidimus desudârunt; Orbem illum, qui tot complexus est terras ac populos, quot illorum Nomina recensent Auctores: quorum è sensu Scythæ, Vandali, Svevi, Alani, Sarmatæ, Veneti Heruli, Hunni, Burgundiones, Bastarnæ, Gepidæ, Quadi, cæterique, cùm à Gothica debellati manu, arma viresque eidem contra Romani Imperii potentiam, associâssent, in Scytharum nomen abiêre; Orbem tantum Victorem gentium, Orbis Romani æmulum, Asiæ Africæque (non soli Europæ) metuendum; cujus si originem spectaveris, antiquissimus: si incolas, populosissimus; si arma, potentissimus; si Regimen fortunatissimus; si Imperium, augustissimus fuit: Tantum, inquam, Orbem, eruditissimis proponere oculis, quantum opus & opera? Audendum nihilominus est. Quod si effectus operis, Authoris affectui, Lectorisque voto minùs responderit, allegata facilè excusabunt apud benevolum animum. Mihi unicum in votis ac desideriis est, ut quoque modo, etiam tenui opere, tenuique stylo; & Patriæ meæ, ac Patri illius ac Principi Coronato, Domino, Domino meo Clementissimo & Beneficentissimo, (quibus præter Superos cuncta totus debeo obsequia) respondeam.

Gothia multarum fons Gentium.

CAPUT I.

De Origine Nominis Gothorum, Getarumq; &c. & An Gothici Nominis superſint Reliquiæ? ubi de Guddis.

Gothorum nomen diverſum Græcis & Latinis.

GOthorum nomen variat multùm apud Hiſtoricos. Aliis enim Getæ; Guthones aliis & Gythones: aliis Gotinni & Gotunni, item Gauturni audiunt. E *Græcis* Authoribus, Herodoto [a] dicuntur Getæ; Ptolomæo Gythones, Pytheæ apud Plinium [b] Procopio [c] Gothi & Getæ. E *Latinis* Plinio [d] audiunt Gothi & Gothones; Straboni Gutones; Tacito c.l. Gothones. D. Hieronymo. [e] Flavio Vopiſco. [f] Pomponio Læto. [g] Aelio Spartiano. [h] Gothi & Getæ. Notandum; Nomen à nobis per ſimplex t. ſcribi: Scimus enim frequens & uſitatum eſſe nonnullis nationibus, ut duplex tt. & ore & calamo interponant vocibus, quæ ab aliis ſimplici t. & ſcribuntur & efferuntur. Donandum id ego cenſui & etiamnum cenſeo idiomati & conſvetudini gentium.

Quæ cauſa duplicis tt. in nomine Gothi.

§. I.

Proponuntur aliorum ſenſa, de Origine Nominis Gothici.

Gothi Nominis derivatio à Goeta.

NOn ſolùm ipſum Nomen Gothicum, ſed & derivatio illius, non ſatis inter AA. convenit. Sunt qui nomen hoc à priſco verbo Sveco-Gothico, *Goeta*, quod ſignificat *gignere* & *parere*; derivant. Ita Stiernhelmius citatus à Loccenio [i] qui exinde ſignificationem Nominum *Gutt* & *Guſſe* i. e. *Puer* & *Gutte*, i. e. *Miles*, deducit. Alii volunt derivari Gothos à fluvio *Guda*, qui Aarhuſenſem Epiſcopatum interfluit. Ita Hermannides; [k] qui ex eo nomen Juthi in Juthlandia deſcendere opinatur. Neotericus quidam, literarum & animi ſtudio conjunctiſſimus mihi, è Græco γοῖτος, Gothicum deducit nomen. Latinis ea vox ſonat immunditiem, vel ſorditiem: quaſi Gothica gens æquè ac Scythica, moribus habituque corporis inculta & ſordida fuerit. Sed Getis id potiùs barbaris, quàm politioribus Gothis ſervire infra demonſtrabitur. Rectiùs ſentire videntur, qui nomen hoc ex Germanico, *gutt*, juxta alios *good*, i. e. *bonum*, derivant, quam ego derivationem valere arbitror in Gothis Sveticis, qui Gottlandi dicuntur. Nimirum terra illa, quòd ſit bona & fertilis, dicta eſt ideo Gottlandia: conſtat enim agros illius cæteris in Regno Svetico ob ubertatem præcellere. Gothis tamen, de quibus nos in præſenti, derivationem hanc Nominis minimè convenire, patebit ex ſequentibus. Certè non levia ad ſentiendum aliter, ducunt argumenta. Tandem videtur nonnullis, vox nominis hujus conſonare voci nominis *Chotim*. Eſt celeberrima & ve-

à fluvio Guda in Dania.

à Græco, γοῖτος.

à Germanico good vel gutt.

Unde Gotlandia?

à conſona voce Chotim.

[a] lib. 4. [b] lib. 37. c. 2. [c] lib. 1. rer. Goth. c. 16. [d] lib. 4. c. 14. & lib. 97. c. 7. [e] Epiſt. 135. [f] in Probo. [g] in Claudio & Conſtantino. [h] in Anton. Carac. [i] lib. 1. Antiquitat. Sv. Goth. c. 1. §. 2. [k] in Dania.

& vetustissima Arx, ad Tyram fluvium sita; sedes quondam Gothorum veterum; atque locus ingressus per Walachiam in ditiones Romanorum. Ad hunc locum fluviumque Strabo Getarum collocat solitudinem, campestrem totam, in qua Darius Hystaspis filius, transgressus Istrum, arma Scythis admovens, venit cum exercitu in discrimen. Hinc inferre contendunt quidam, cùm & Polonia tota campestris sit, & fluvius Tyras illi conterminus; imò ex ea ortus, multas Regni præterfluat, multas alluat terras, Gothorum gentem ex his Sarmatiæ prodiisse oris, in quibus primam fixerat sedem; atque ab eo loco Chotim appellato, denominationem suam accepisse. De origine gentis locus inferior erit: quantum attinet originem nominis; profectò non videtur tam generosam sua ætate gentem, in unicum locum, eumque sat vilem, tantùm respexisse, ut ab eo nomen assumere voluerit. Probabile tamen existimo, fieri potuisse; ut ab iis, qui malè Gothicum callebant idioma, à loco transitus, qui Chotim dici poterat, Gothi sive Gothini dicerentur.

Arx Chotim & locus describitur.

Periculosus Dario.

Gothorum sedes.

Refellitur opinio.

§. II.

De Origine Nominis Getarum, sensa aliorum proponuntur.

Usitatissimum Græcis Auctoribus Nomen Geta; quod tamen ab iis dupliciter scribitur, aspiratum scilicet & non aspiratum. Ita Divo Nazianzeno γέτα & γέθα. Getæ Straboni [l] imprimis, etiam Gythones & Guthæ & Guttæ dicuntur. Sed quæ origo sit nominum, non explicat. Lusus quorundam ingeniorum est, Getas derivari à *Getar*, Hebræo nomine. Fuit is filius Aram, & Nepos Semi. [m] Cujus posteris Bactrianorum sive Syriæ terram Josephus [n] attribuit. Volunt alii à Græco γνάθος i. e. maxilla; alii à γύω & θοός i. e. *mutilo*, *velox* id nominis derivari, exprobrantes nimirum populi illius truculentiam; sed cùm Origo Gentis Gethicæ non ex Græcia proveniat, neque origo nominis ex ea sumi debet. Neque verisimile est, Getas in dedecus gentis, posteritatisque suæ, id nominis assumpsisse, vel assumere potuisse. Accedit, quòd unaquæque gens nomen sibi eligat assumat vel genio vel loco congruum. Græci ludere mihi eo nomine videntur, atque ad illud γείτων, quod *vicinum* denotat alludere. Hoc sensu, non solùm illi, sed & Latini Scriptores, qui à Græcis mutuantur nomina, plerosque diversarum Gentium populos appellant Getas. Ita Thraces, *Græci-Getæ*; populi ad Tyram, *Tyri-Getæ*; populi ad Mysiam, *Masso-Getæ* i. e. Vicini Græciæ, Tyræ, Mysiæ, &c. Similiter *Herodotus* [o] populos ad Bosporum, *Thraco-Getas* nominat, i. e. Vicinos Thraciæ; quibuscum jungit Sarmatas, qui Cyrum lacesserunt. Ad Getas referuntur *Getuli*, quorum latrocinia Cl. Tiberius Rom. Imperat. repressit, ut in eo notat Aurelius Victor. Neque tamen diminutivum Nomen diversam à Getis Gentem constituit; immo unam eandemque fuisse Nomen ipsum, de quo infra fusiùs.

Geta Græcis scribitur per τ. & θ.

Strabo Getarum nomen variat.

Geta an à Gethar Hebræo nomine?

An à Græco γνάθος an à γύω & θοός.

Explicantur nomina & refellitur opinio.

Græcis, à γείτων venit i. e. vicinum.

Hinc vicinæ Gentes dicuntur Getæ.

Getulus est Nomen à Geta diminutivum.

§. III.

l c. l. m Gen. 10. v. 23. n c. l. in Antiquit. o in Melpomene.

§. III.

De Origine Nominis Gythonum, Gautunnorum &c. &c. & sinu Codano.

UNde Gythonum Nomen ortum suum traxerit, non eadem est Auctorum sententia. Prætermissis aliorum sensis, sufficiet nobis Clarissimus nuper in Regno nostro, quia Regius Historiographus, quem ritè dixeris Florum Polonicum, *Joachim Pastorius*. Sensum illius lubet hac de re proponere, quem ille in Comment. de Vita & Gestis Theodosii M. proposuit; ubi ita inquit: [p] Illorum qui Gothones à Tacito, à Ptolomæo *Gythones* insigniuntur, fortè ex corrupto Scytharum nomine, Gythonum appellationem ortam esse, abjecta utique litera S. Cythones, & hinc Gythones facilè dici potuisse. Sed in his ut conjectandi, ita acceptandi libertatem cuivis integrum relinquit Auctor. Gothos etiam *Gautunnos* vocatos esse AA. produnt, cujus quidem nominis derivationem, à *Gaute*, quod Svetis veteribus *Odinum* DEUM connotabat, Loccenius [q] desumit. Iidem Gothi alii dicti sunt *Ost-gothi*; nimirum qui ad Orientem suos extenderunt Imperii terminos: alii *VVest-gothi* vel *Visi-gothi*, & *Vesi*, qui ad Occidentem; De his agetur infra. Sunt qui Gothicum Nomen à *Godan* & *Codano Sinu* derivare satagunt. *Godan* quidam est deaster eo nomine appellatus. Quis autem Codanus sinus Veteribus fuerit, adhuc ambigitur. Ex descriptione Jornandis colligitur, Sinum illum esse sinum Cimbricum, uti nunc plerisque dicitur, Promontorium ambientem: qui tamen tam obscurè describitur, ut totum ferè *Balthicum mare*, intelligi per sinum Codanum possit. Idem Author in descriptione Seanziæ suæ dicit Vagum fluvium undosum ingredi ab oriente in Oceanum. Sed quis ille hujus nominis fluvius sit? non exponit. *Albim* non dixero; quia nunquam sic nominatus est, ratioque loci aliud svadet. Nullus præterea fluvius vel in ipsa Scanzia, vel in Regnis septentrionalibus, nimirum Svecia, Norwegia &c. &c. tam notabiliter undosus reperitur, qui hoc nomine insignitur. Nullus ibi Vagus, sed Chronus Vistula, Viadrus, in Mare defluere spectantur. Verùm Jornandes in Balthico aberravit mari, quod unum idemque arbitratus cum Oceano commiscuit: ita in flumine Vago facilè exerrare potuit; si quæ enim terrarum pars, septentrionalis maximè, Romanis, inter quos Auctor præfatus vixit; haud benè fuit cognita. Verùm de his infra uberiùs. Cluverius ab hoc Codano seu Godano sinu, celeberrimam Regalis Prussiæ Urbem *Gedanum* dictam, vulgo *Dantiscum*, seu Dantzig, Quod aliis *Gythonium*, veterum cultorum nomine vocatum, audit; suam traxisse originem testatur. Assentior libens; Locum, in quo nunc Civitas cum adjacentibus sita est, Gothos & Danos incoluisse; lingva enim veteri Gothica, Danskai & Gdanskai vocantur Dani: nimirum, magna fuit olim negotiatio maritima, & navalis potentia Danorum, qui fortè sortuito, & vel fortunato, vel infortunato casu ad sinum Dantisca-

Sensus Joachimi Pastorii de Gythonum nomine.

Sensus Loccenii de Gautunnorum nomine & quid Gaute Svecis Veteribus?

Unde Ost-gothi West-gothi?

Gothi an à Godan & Codano sinu?

Quid antiquis Godan?

Quis sinus Codanus Jornandi?

Error illius in Vago fluvio undoso Scanziæ.

Error in Mari Balthico.

An à Codano sinu, vel Godan dictum Gedanum, Urbs maritima Regalis Pomeraniæ juxta Cluverium?

Dani veteri lingva Gothica Danskai & Gdanskai dicti.

p c. 9. §. 49. q lib. 1. Antiquitat. Svec. Goth. c. 1. §. 2.

tiscanum appulsi, in formam oppidi duxerunt Coloniam; eique nomen à suo nomine indiderunt; quod deinde successu temporis in eam excrevit Urbem, quam præsentes suspicimus; permanente appellatione prima, quæ & Veteris & Novæ urbis manet eadem. Tractat hac de Henneberg. in Explicat. Tabul. Pruss. Verbo: Dantzig. Conferatur R. Curike in Chron. Dantiscano. Gothos quoque circa Vistulam nativas olim habuisse sedes, probant argumenta, firmat Authoritas Classicorum, de quibus capit. seq. Hinc inferre licet, quod multum probabile est: Gedanum urbem Prussiæ nostræ, à Gothis & Danis conditoribus exstitisse. Videndus Crantzius [r] & Isaacus Pontanus. [s] De his.

à Danis Gedanum conditum & Gothis.

Gothorum sedes ad Vistulam.

§. IV.

Proponitur Nostra sententia de Origine prædictorum Nominum.

UT faciliùs derivationem nominum, quam superioribus §§. proposuimus; Salvo tamen doctiorum judicio, exponamus; statuendum inprimis est, derivationem illorum Nominum è lingva Sarmatica esse petendam. Cùm enim, in quo ferè omnes AA. consentiunt, Gothi, è septentrione illo, qui & vicinus Daciæ, prodiêrint; sequitur Gothorum Getarumque ac cæterorum nomina originis esse Sarmaticæ. E multis Sarmatarum idiomatis, occurrit vetus illud Prussicum, quod unius radicis esse cum Polonico, Dalmatico, Bohemico, Russico &c. videtur; Samogeticæ, Herulicæ, Venedicæ, Curonicæ, Lingvæ hodie vicinissimum. Et certè Gothos fuisse incolas Prussiæ, svadet illud, quòd Gothones olim succini Collectores fuerint, affirmantibus id Tacito & Plinio. Nusquam Succinum & in tanta copia collectum esse legitur, nec videtur, quàm in Prussia. Horum autem Gothorum idioma quale fuerit, expressit Herodotus, cum Deos Scytharum Getarumque enarrat: quorum nomina absque ulla detorsione sensûs, idem significant nunc, quod olim ætate Herodoti significârunt. Sed de hoc alibi ex Professo, ubi de lingva Gothica. Ex hac itaque lingva, quam meritò Gotho-Prussicam appellabo, Gothicum nomen derivandum censeo, in voce *Gonta* vel prout apud Prussos, Nadravos, Zalavonos scribitur Guta. Quæ vox diversa infert significata, in usu tamen frequentissimo est, & ad multa præsertim rei domesticæ atque Oeconomicæ exprimenda, acceptatur. In universum denotat *omne id, quod ad rem familiarem, ejusq; bonum & commodum spectat.* Unde *Tuguria* Gothorum *vaga*, in quibus domesticam asservabant suppellectilem, *Guta* seu *Guota* vocabantur, & adhuc vocantur. Tribuitur ea vox præsertim à simplicioribus *DEO substantiæ domesticæ.* Atque ita cum dicunt: *Offeramus aliquid Gutai*; sensus est: *Offeramus DEO Substantiæ nostræ, vel potiùs pro substantia nostra.* Usurpatur eadem vox pro *possessione, domo, hæreditate, familia.* Indè, cum in Historiis Prussicis, Lietvanicis, Samoget. legimus, quòd hic vel ille fuerit ex nobili Gu-

Sicut Gentis Gothicæ, ita prædictorum nominum origo est Sarmatica.

Lingva Prussica unius radicis esse videtur cum reliquis in Sarmatia nostra, multis hodie vicinissima.

Gothi incolæ Prussiæ.

Collectores Succini.

Idioma illorum quale?

Gothus à Guota voce Gotho-Prussicâ.

Gouta Vox multa denotat; potissimùm (1.) suppellectilem domesticam.

(2.) Tuguria vaga.

(3.) DEUM substantiæ domesticæ.

(4.) Possessionem, familiam.

[r] lib. 6. Vand. c. 7. [s] lib. 6. Dan. ad Ann. 1165.

Quis sensus Scriptorum, quod N. fuerit ex nobili Guta?

Gůta; sensus est: quòd fuerit ex nobili Domo vel familia; non autem ut nonnulli lingvæ hujus ignari intellexerunt; quòd hic vel ille fuerit Nobilis Gothus, sive, ex Gothica familia oriundus. Cùm autem nulla hoc ævo natio nomen Gothicum præ se ferat, præterquam Sveco-Gothia sive Gotlandia; errore vocis rerumque inscitiâ abducti existimârunt Sveco-Gothorum familias in his Sarmatiæ partibus eminuisse. Insuper nomen Gouta, Slavonicâ lingvâ denotat *Ovile*, & *gregem ovium*. Scilicet hæ Gothorum facultates erant, hæc possessio maxima & hæreditas Successorum. Immò veteres illi populi hac potissimùm se Oeconomiâ occupabant, his bonis alebant, sustentabant familiam; quod videre etiam nunc est in Scythis nostratibus. Hinc illud Joh. 10. Erit unum ovile; Prussi, Lietvani, Bohemi &c. explicant *to Ovile* per suum Gouta. Hinc & Polonis, immutato parùm nomine dicitur fœta ovis, *kotna Owca*. Unde autem hæc nominis variatio, atque in tot nomina efformatio provenerit, ut idem populus, *Gothi* & *Gutæ* & *Getæ*, *Gothones* & *Gythones* & *Gautunni* vocaretur? Fecit id, credo, propria uniuscujusque gentis dialectus, atque naturalis quædam inclinatio, ad hanc potiùs, quàm illam Vocalem. Hinc qui magis O quàm U in voce Guota vel Gůta spectârunt; proferebant *Gothi*; Græci *Gothi* & *Gothones*, sicut *Diaconi* & *Diacones*. Qui magis U quàm O observârunt, reddebant Gutæ: hinc Græcis occasio data, ut dicerent Gothones & Gythones quibus U est ypsilon. Qui verò diphtongos in suis vocibus adamârunt, dicebant Gautunni, permutatis vocalibus a in u vel transpositis u & a. Qui tandem magis e, quàm reliquas vocales spectârunt, Getas nominabant. Nisi fortè Græcis acceptissima hæc denominatio tribuatur; qui ut pro genio ingenioque suo lusum facerent, in nomine, & ad illud γείτων alluderent, Gothos dixerunt Getas. Guota tamen, communiter nunc scribitur & profertur, pro more adhuc inter Nadravos, Zalawonos, Samogetas usitato: in cujus pronunciatione Nominis non tantùm omnium vocalium sonus exprimitur, ita, ut primæ vocales, cum addito insuper a quodam obscuro, postrema leniter resonet, quasi Guŏata. Usus diphtongi hujusmodi atque elocutio, in sexcentis vocibus Prussicis, Lietvanicis, Russicis, usque nunc durat. Notandum est, in pronunciatione Vocum, quibus præfatæ utuntur nationes a cancellatum, exprimere sonum, *on*. Hinc ab accusativo Gotą, Gothon & Gython, & Gauton, indè Guotonis &c. &c. ortæ sunt voces.

(s.) Ovile, & gregem ovium.

Quæ causa variationis tantæ, in uno nomine?

Guota vox qui pronunciatur.

a cancellati quis sonus?

§. V.

An Reliquiæ Gothici Nominis in Regno Sveciæ manserint?

GOthicum Nomen Sveco-Gothia ad hæc usque tempora usurpat, eoque gloriatur, tanquam posthuma, Parentis sui nomine, & propago populi olim celeberrimi. Sed immeritò videtur mihi, hac origine gloriari: non infrequens enim est; vocem aliquam in diversis reperiri lingvis, quæ eundem vel propè eundem habeat litera-

Vox una diversis lingvis non unum denotat.

terarum sonum, sed non sensum eundem; nempe, quòd aliam hæc, aliam illa radicem sive originem referat. Ita Sveco Gothia; cùm non à Gothica, sed à sua, quâ gaudet, lingvâ Germanicâ, nomen acceperit; non etiam à Guota ut Gothia nostra, sed à *Good* vel *gutt* Germanico, quod bonum significat, provenit. Inde Gotlandia, vi nominis bonam denotat terram, quòd, ut suprà diximus, terra Provinciæ illius bonitate & fertilitate, omnes alias in Regno Sveciæ antecellat. Non secus cæteræ Regni Svetici Provinciæ, purè à Germanica nomen sortitæ sunt lingva, cujus scilicet sunt originis. Ita enim *Uplandia* dicitur ex Germanico, Terra superior, *Dalia*, Terra humilis, depressa, seu in vallibus posita. *Nilandia*, Terra nova, *Dalecarlia*; Terra virorum in vallibus. Finlandia, Terra tenuis. Idem de Smalandia, Oelandia, Sudermannia, Westmannia, Augermannia, cæterisque dicendum. Cùm autem Gothi Sarmatæ non è terris Sveciæ aut Teutoniæ prodiêrint, neque ab illis etiam sumpserunt nomina; adeoque nec derivatio Nominum ab illorum lingva desumenda est: sed quibus debent terris, populi sui originem, earum lingvis debent & nominum originem.

Unde Sveco Gothia?

Unde dicta Gottlandia?

Unde cæteræ Provinciæ Sveciæ dictæ.

Gothiæ Sarmaticæ Nomen non ex Svecia nec Teutonia venit.

§. VI.

An Reliquiæ Nominis Gothici in terris Europeæ Sarmatiæ reperiantur?

NUlla, quod sciam, Regio, aut terra in partibus Sarmatiæ nostræ reperitur, quæ antiqvum Gothorum nomen retineat: nullam enim aut calamus Auctorum prodit, aut fama gentium loquitur. Hæc est rerum sub sole vicissitudo, ut cum iis nomina mutentur. Omnino tamen verisimile est, mansisse propaginem Gothici sangvinis, esto non nominis: neque enim dubitare licet, quòd Regiones nostræ, aliter olim vocatæ sint, aliter nunc vocentur. Testantur id Prussici Scriptores, inter quos Miestovius & Henneberg [*] asserunt, dictam modo Lietvaniam, olim Russiam vocatam esse; adeoque Lietvanorum nomen, non esse vetustum, videtur consonum veritati: adhuc enim in toto illo Mag. Ducatu & Samogethia, decreta Judicum, non aliâ, quàm lingvâ Russorum propriâ scribuntur in subselliis; idque non alia de causa manet factum, quàm quòd hæc natio una fuerit cum Russia. Probari idipsum videtur ex nomine *Porussia* (Prussia,) quod molliùs nonnulli eloqvuntur Borussia, hoc autem juxta tenorem Lietv. Russ. Samog. & Prussicæ lingvæ terram denotat Russorum terræ conterminam; vel terram cis aut penes Russiam; estque talis locutio præsentibus etiam in usu, ut *Po-girrejus* vocent illos; qui cis sylvas, Uz-girrejus, qui trans sylvas degunt. Hic in eam deducor opinionem, quòd & Polonia nostra, similiterque Bohemia, alia primitùs nomina habuerint: Habent enim antiqua Russorum, Polonorum & Bohemorum Chronica; testatur acceptissima vulgi opinio; quòd Rus & Prus, Lechus & Czechus fratres fuerint, id-

Mansit propago sangvinis, non Gothici nominis.

Lietvania olim Russia dicta.

Lingvâ Russicâ decreta Judicum scribuntur in Lietvania & Samogethia.

Prussia dicta Porussia, hujus vis nominis è terrâ Russiæ conterminâ.

[*] in Explicatione Tabul. Pruss.

idque ex lingva communi ferè omnibus populis, qui ab iis deſcenderunt, probabile eſt. Confirmor in hoc, quòd in Pruſſia Poloniæ vicina, inprimis in Nadravia, Zalavonia, imò & Samogethica Poloniarum incolæ, non Poloni ſed Lechai vel Lenkai vocentur, quod mihi à voce nominis Lechi, primi Polonorum Satoris, deſcendere videtur, indè & apud eruditos adhuc Lechici audiunt & Lechiades. Sed de hoc fuſiùs alibi. Reliquias Gothici nominis, non quidem ulla, uti diximus ſic dicta Regio, ſed uſitatum illud in Pruſſia, Samogethia &c.

Gudda Vox uſitata in Pruſſia.

Contemptibile nomen.

Derivatur à Guota.

Denotat prudentem & cautum. Inde guddrus, prudens.

Bellum Maſoviis intulerunt Pruſſi (olim Pruteni dicti) quod alludentes ad nomen Prutenorum Pruſſos Brutos & Brutenos appellâſſent.

Nomen Gůdda indicat; quo Samogethæ, Ruſſi, Lietvani, nec minus ipſi etiam Pruſſi, Zalavoni & Nadravi, imò ipſi Natravi Sudovii, Maſovii quoque ab his qui Ducalem Pruſſiam non procul Regiomonto incolunt; contemptim adhuc vocantur. Quod autem nomen hoc à *Guota*, ſuam reducat originem, ipſa vox probat, & ſignificatio: denotat enim hominem in re domeſtica prudentem, & cautum. Inde guddrus prudens eſt in re familiari; atque prudens ſimpliciter. Et certè idipſum probat, gentem hanc non aliunde adſciviſſe Nomen, ſed à ſuo ſe placito, ac ingenio vocâſſe Gothos: patet à ſimili in voce Pruſſiæ. Pruſſi enim eodem ſenſu dicti ſunt à voce *Pruntu*, quod in futuro, Pruſſiu, denotat intelligere. Hinc Prutenia à Průta, quod ipſis intelligentia & prudentia eſt. Hæc ſiquidem gens vicinis gentibus prudentiorem ſe arbitrata, Pruſſorum, id eſt, prudentum nomen ſibi impoſuit; Hinc factum, ut Maſoviis jam tunc Chriſtianis, quod ad nomen Prutenorum alludentes Brutos & Brutenos & Brutenos Prutenos appellâſſent, bellum Pruteni intulerint, multâque Maſoviorum ſtrage editâ, eô tandem pacto illud concluſerint, ut impoſterum Mazovii Pruſſos, i. e. Præſcientes, non Brutos, abolito Pruteni nomine vocarent. Agunt hac de re Simon Grunovius in Chron. Pruſſ. & Henneberg in Comment. ad Tabulam Pruſſ. ad vocem Neidenburg.

§. VII.

Unde nominis Guddæ contemptus hodie in Pruſſia?

Tenax ſuperſtitionis Ethnicæ vulgus ita dictum à Polonis & Pruſſis fidelibus.

Guddas idem, qui Ethnicus olim.

GUddæ nomen ab antiquo Guota ortum, manet huc usque in Pruſſia, ſed infame nomen. Infamiæ cauſa videtur eſſe tenacitas populi in ſua infidelitate perſiſtentis: Ruſſi enim, licet ſæpius victi à vicinis Principum Chriſtianorum armis; mordicus tamen, antiquis moribus ac ritibus gentiles inhæſerunt, uti adhuc eorum progenies Ruſſica in Liethvania, Samogethia, Nadravia, Zalavonia inhæret: cùm enim Poloni & nonnulli Pruſſiæ primores, in fidem Romanæ Eccleſiæ, abjecta ſuperſtitione, conceſſiſſent; cæteri in ſuis obfirmati erroribus, Chriſtiano nomini infenſi, frequenter in terras fidelium excurrerent, non levia iis inferentes damna; odioſum cunctis in Polonia ac Pruſſia fidelibus Guddarum infidelium nomen exſtitit; adeo ut Gothus ſive Guddas, idem illis, qui Paganus & Ethnicus fuerit, hoſtisque Chriſtianitatis audiêrit. Proceribus tandem in Liethvania & Samogeth. ad Chriſtianiſmum converſis nomen ademptum & contemptus; manſit tamen penes ſimplicem rudemque populum,

nomen

nomen probrosum manetque inter Russos, esto sint jam Christiani. Ita Prussorum nomen, honorificum olim, plerumque superbæ laudis, nostrorum tamen Majorum memoriâ in tantum dedecus venit ac contemptum, ut in ipsâ Prussiâ, *servi* ac *infames*, dicerentur Prussi, atque ad nullum officii honorisque gradum admitterentur. Imò adeo abjecta reputata gens, ut sub pœnâ capitis ancillantibus personis inhibitum esset, *ne Prussicè inter se loquerentur*. Videatur Simon Grunov. c. I. Deliciæ meæ Antiquitat. Pruss. Exstant nonnulla *Statuta Prussiæ*, quæ adhuc valent, voluntque ut Ecclesiasticâ censurâ notati, (vulgò dicitur Excommunicatio) sive illam promeriti, non in communi Christianorum cæmeterio sed *Prussorum*, id est, virorum infamium, ac nomine Christiano indignorum, sepeliantur. Adeò ipsimet in sua Prussia Prusſi viles habiti sint. Quod Prussiæ olim antiquæ, id etiam nunc *Slavis*, *Herulis* seu *Vendis*, Gothorum reliquiis obvenit. Decorum olim *Slavorum* Nomen, quod à *Slawa* i. e. Fama è Polonico & Prussico derivatum, *gentem sequacem ac studiosam famæ*, quam Nomine præfert, designet; Germanis adeo probrosum ac contemptibile redditum, ut *Mancipia* vocarent *Slavos*. Die Schlaven. Iidem inter cætera, quæ passi sint, & nescio, an uspiam non patiantur, *ad nullum honestius admittuntur opificium*: quod ex nonnullis opificum testimonialibus, quas à Magistratu Novitii, de honestis suis natalibus accipiunt, colligitur, in quibus verba leguntur hujusmodi: *Testamur* &c. &c. *quòd N. N. legitimè ex honestis Parentibus, & non* ex Vendis *aut aliis despicatui habendis hominibus* &c. &c. *natus sit*. Neque nostrâ hoc primùm ætate natum est; jam olim ætate Tullii, Romanis *servi* dicti sunt *Getæ & Daci*; Cælio Rhodigino [a] attestante. Causam reddit *Trebellius Pollio* in Claudio ubi de Gothis in Pannoniâ & Mysiâ debellatis: *Factus*, inquit, *miles barbarus & Colonus ex Gotho; nec ulla fuit regio, quæ Gothum servum triumphali quodam servitio non haberet*. Hinc nullus mirabitur, si Gothicum nomen etiam apud ipsos origine Gothos, in usu non manserit; evicit enim tantus despectus nominis, ut omni studio illud aboleverint.

Conversio ad fidem tollit probrosum nomen.

Remanet inter Russos rudes sicut & superstitio.

Abjectum olim Prussorum nomen.

Statutum Prussiæ de Excommunicatis.

Slavorum Nomen decorum ex se Germanis probrosum.

Similiter Vendorum.

Servi Romanis dicti sunt Getæ & Daci.

CAPUT II.

De Origine Gentis Gothicæ.

Antiquæ gentis originem proponere, & maximè gentis illius, quæ literis inculta nullum de se protulit Scriptorem, quæque tardiùs per arma Romanis innotuit terris, plusquàm arduum est. Quare in proponenda Gothorum origine, nullus à me rem certam expectet, nullus primum Auctorem gentis desideret; cùm de illa solæ inter AA. conjecturæ, de hoc altissimum inter omnes silentium sit. Populosa equidem Natio fundatore suo, certisque terrarum spatiis, carere non potuit. Sed quis ille fuerit, è quibus terris prodierit? nullus, quod sciam assecutus est, cultâ incultâque tacente vetustate.

[a] lib. II. c. II.

Non defuit ſuperba populorum fatuitas, qui ſe æternos ſuâ in origine crediderunt. Ita Aborigines, à ſe ipſis ſe prodiiſſe; antiqui Germaniæ populi è terra ſe ortos jactitabant. Verùm hic barbararum gentium error, dudum ab Orbe excluſus eſt Chriſtiano, aliter divinis edocto teſtimoniis: primum enim humanæ gentis Parentem Sacræ loqvuntur paginæ; pòſt obrutâ aquis diluvii humo, conſervatorem gentis Noë ſtatuunt, alterum quodammodò Parentem; Satores & Propagatores, Noë poſteros. Hi ſiquidem, poſtquàm Orientalis plaga, prima mortalium patria, anguſtior cæpit eſſe incolis; huc illucque diſperſi, diffuſarum ſuper orbe gentium, quaſi undarum fontes quidam exſtitêre. Certum equidem videtur, quod communis Hiſtoricorum tenet ſenſus, vetuſtiſſimâ firmatus traditione: *Aſiam* obtigiſſe *Semo*; *Chamo Africam*; *Japeto Europam*. Qui filii Noë, eorumque poſteri à divino recenſentur Scriptore. Gen. 10. Quod autem Japeti Poſteris, regiones Europæ obvenerint, teſtatur veterum etiam Poëtarum calamus. *Heſiodus* Græcorum celeberrimus, *Prometheum Japetionidam*, filium Japeti nominat. E Latinis *Lyricorum Princeps*,[a] Europæ incolas; *Audax Japeti genus* appellat. Elegiographus[b] Romanæ gentis conditorem, *Satum Japeto*, dicit. Huic Japeto filii erant ſeptem; quorum hæc nomina divinus recitat codex: *Gomer*, *Magog*, *Madai*, *Javan*, *Thubal*, *Moſoch*, *Thiras*. Ex his *Gomero* filii erant: *Aſcenas*, *Riphat*, & *Thogarma*. *Javano* filii erant: *Eliſa*, *Tharſis*, *Cethim* & *Dodanaim*. *Ab his diviſæ ſunt Inſulæ gentium, in regionibus ſuis unusquisq; ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis*; inquit ibidem ſacer textus. Quando verò hæc vel illa gens, has vel illas terras poſſederit, nomen locumque mutaverit; nihil certò affirmari, quia nihil certi afferri poteſt; Cùm AA. plurimùm hac de re variis inter ſe diſceptent conjecturis, imò meris colludant ingeniis, dum ex varia vocum alluſione, varias gentium efformant origines. Patebit res ex §. ſequenti, quo duorum ſenſa Auctorum diſſentientium inter ſe propono evidenter.

Japeti Poſteri Europæorum progenitores.

§. I.

Proponitur Autorum ſententia, de Origine Gentis Gothicæ, & Gentium.

Senſum Iſidori.

ISidorus Antiqvus ſatis & celebris Auctor, ad initium ſui Chronici, *Gothorum Regnum antiquiſſimum* eſſe, atque è *Regno Scytharum* exortum, aſſerit, pro re certa. Idem alibi: *Gothorum*, inquit, *antiquiſſimam eſſe gentem, certum eſt: quorum originem quidam à Magog Japeti filio ſuſpicantur.* *Verelius* ſimiliter ex aliorum ſenſu; Magog Gentis Gothicæ conditorem ſtatuit; ſed quem ille ſenſum non admittit, tanquam incertum, minùsque probabilem; cum dicit: *Qui illi fuerint, qui primi huc* (in Sveco-Gothiam) *migrârunt, quove tempore hîc primùm conſederunt, haud facilè expediri poteſt. Nam quæ de Magog, gentis conditore, nonnullisq; Succeſſoribus aliis memorantur, refelli faciliùs quàm adſtrui poſſunt.* Ita ille.

Senſum Verelii.

Mi-

a Horat. lib. 1. Carm. Od. 2. b Ovidius lib. 1. Metamorph. de origine Romanorum.

Mihi contra Verelium satis esse probabile videtur illud, in quo plures docti ac eruditi Viri conveniunt. Neque illud incertum est, quo certius aliud afferri nequit. Non scientiam hic inquirimus, sed moralem, à conjecturis similioribus petitam certitudinem. Wolfg. Lazius, eundem Gothicæ gentis Satorem constituit; dum Magogo Septentrionem, vel Sarmatiam tribuit; nisi quòd Gomero partem Gothiæ, sive Gothiam Vistulæ conterminam tribuere videatur. Ita enim ille de Migratione gentium disserens; *Japhet*, inquit, *Europam sortitus est. Cujus filii, Thubal Italiam; Javan Græciam; Magog Septentrionem, sive Sarmatiam, Janus Joniam; Kitim seu Cetim Macedoniam; Distametes Galliam; Gomer terras à Vistula ad usq; mare Atlanticum protensas, quibus Germaniam, Gallias, Hispaniasq; clausit terminis, obtinuère. Filius Gomeri Ascenas, Pater Cymbrorum, Galatarum, & Teutonum esse creditur. E Galatis Celtæ, Galli, Boji, Brenni, Sennones, Taurisci & Scordisci orti, primùm in Noricum, deinde in Rhætiam & Pannoniam: post in Italiam & Græciam, tandem duce Brenno, in Asiam commigrârunt. Horum pars Pannonias repetiit. Ita cunctis permixti gentibus, in Asia Gallo-Græci putantur fuisse Galatæ.* Hactenus ille. Exquisitæ vir eruditionis Cluverius, [c] uti aliam terrarum divisionem, populorumque originem, ita quoque alium Gothiæ Sarmaticæ fundatorem statuit. *Riphacem* eum nominat, cui *Russiam*, quæ est pars gentis Sarmaticæ, tribuit: ita enim ille è filiis sive posteris Japhet, atque hos deducit populorum fontes. *A Javan Jones*, inquit, & *Græci descenderunt ab Elisa ejus filio*, *Æoles*, *à Tharsis Cilices*, *quorum caput Tharsus*, *à Cethim Macedones & Epyrotæ à Dodanaim* (Rhodanim legitur lib. 1. Paralip.) *Rhodii à Gomar*, *Gomari*; quos Ptolomæus ad Iraxem amnem, Mela ad Caspium mare collocat: à Græcis ii dicti sunt *Saccæ* & *Massagethæ*. Ab hoc Gomero Josephus [d] *Galatas* descendisse refert, dictos antè Gomarenses. Sacer vero Vates Ezechiel, c. 39. Gomerum facit conterminum *Thogarmæ*, quem in Septentrione reponit. Pergit Cluverius, & à Magog descendisse ait Massagetas; à Madai Medos; à Mosoch Albanos, Iberos, Colchos & Moschos, quos Plinius [e] Moschenos vocat Armeniæ conterminos. Strabo [f] inter Iberos collocat & Armeniam; Ptolomæus à Cappadocia extendit ad Albaniam. A Thubal Tartaros minores, sive juxta Strabonem, Scythas profectos ad Borysthenem usque protendit amnem. Tauros à Græcis appellatos. Eorum XXX. fuisse gentes testatur Plinius. c. l. Aliter Josephus, c. l. à Thubal descendisse Iberos, inter Colchidem & Albaniam sitos opinatur. A *Tyras Thraces* ortos, ad utramque Istri ripam, Pontique sinistrum latus reponit, ubi Mela & Strabo *Getas*, *Mœsiosq;* posuêre populos. A Thogarma deduci *Turcas*, quos inter Moetim paludem, Herodotus) Mela, Plinius collocant. Inde *Saraceni* putantur orti, de quibus prædictum ab Ezechiele c. l. creditur, quòd ad mercatum equos mulosque Tyrum deduxerint. A *Riphace Russos* ab Obio ad usque Tanaim commorantes *Riphaces* priùs dictos provenisse asserit, hinc Mela Riphæos montes in Russia ponit. Verùm cùm hæc

Refellitur.

Sensum Wolfgangi Lazii de Origine gentium.

Sensum Cluverii de Origine Gentium.

c lib. 1. c. 4. d lib. Antiquitat. Jud. c. 7. e lib. 6. c. 3. f lib. 7.

hæc natio Sarmatica fuerit, probabile eſt, Slavos quoque à Riphace ſuam ſumpſiſſe originem. Ab Aſcena tandem Celtas i.e. Illyrios, Germanos, Gallos, Hiſpanos, Brittannos, utpote unius inter ſe lingvæ Regiones veniſſe autumat, è communi ſenſu. Hæ ſunt doctarum mentium conjecturæ, quas in tam vetuſtis dubiisque rebus, ut acceptare pro placito, ita pro cujusque genio licet rejicere. Puto ego hujusmodi conjecturationibus minimè immorandum eſſe: quòd ingenii facilitatem magis oſtentent, quàm poſterorum utilitati deſerviant; cùmque ſint tot ſententiis expoſitæ, quot ingeniis, nec finem controverſiis imponere, nec certi quicquam afferre poſſunt; ſolumque tempus ſubtrahunt rebus negotiisque meliùs profuturis.

§. II.

Proponitur Authoris ſententia de Origine Gentis Gothicæ.

ORiginem Gentis Gothicæ, nulli ego certiùs Auctori tribuere poſſum, quàm in quo Auctores video convenire, nimirum Japhet Poſteris, qui diviſi à DEO in univerſas terras peculiarem ſecum lingvam in has Europæ regiones detulerint, nempe Gothicam. *Japhet Gothorum Sator.* Qui autem illi fuerint, quibus in pœnam audaciæ, nova cælitùs lingva indita eſt? aut quis illorum Princeps, qui in has Sarmatiæ oras devenerunt? cùm omnes alii ſileant, etiam me ſilere neceſſe eſt. Sed minor de Nomine quæſtio: quisquis ille fuerit, quocunque nomine dictus, parùm refert. Magni fuiſſe animi, virtutisque Virum, patet ex generoſa ſobole, gente Sarmaticâ. Illud certum, Gothos non ab aliis lingvæ diverſæ mortalibus progenitos, nec alienis unquam immiſtos coloniis, quod ſciam, fuiſſe. *Gothi Aborigines.* Unde non immeritò *Aborigines* dixero, qui ſtirpem ſuam ad primos & incognitos referunt terrarum accolas, gentium fundatores. *Gothica lingva Slavonica. Lingva Gothica haud mutata.* Neque illud minùs certum eſt, *Gothicam lingvam*, quam unam eandemque cum *Slavonica* ſentio, parentem exſtitiſſe tot aliarum, quibus noſtra abundat Sarmatia; quæque velut filiæ ad Matrem ſeſe referunt, ſolis ab eâ differentes dialectis; quæ tamen diverſitas, nihil de conſtantia lingvæ diminuit, nunquam mutatæ radicitùs: Neque enim legimus fuiſſe aliquando in his Sarmatiæ oris aliam in uſu lingvam. Viderint, qui Gothos ad Iſtulam & ultra incolas vocant ab origine Teutones; probandum imprimis iis eſt; Majores ſive Anteceſſores illorum, lingvâ quæ hodie in uſu eſt, Teutonicâ, uſos fuiſſe ante adventum Sarmato-Gothorum præſentium. Cùm autem nemo id hactenus probaverit, neque affirmare ſit auſus, ſtat pro nobis Antiquitas gentis Goto-Sarmaticæ, atque aliis independentia populis. *Antiquiſſimi Gothi.* Certè præcipui ex vetuſtis Scriptoribus, antiquitatem illi ſummam tribuunt. Ita enim citatus ſuprà Iſidorus teſtatur cum Aliis, qui Magog filium Japeti, Principem gentis profitentur. Quod autem in his primùm terræ partibus Gothi conſederint, eadem me movet, quæ movit Verelium, ratio; qui ita l. c. inquit: *Sensum Verelii.* *Conſentaneum eſt terras loco illi vicinas, in quo Noachus poſt diluvium conſedit, primùm excultas eſſe, ſed ſoboleſcentibus admodùm per Polygamiam poſteris ejus, colonias ducere continuas ne-*

ceſſe

cesse fuit. Crescentibus autem cum hominibus injuriis, sedes subinde mutare cogebantur. Inde fiebat ut asperiora etiam & horridiora loca, suos colonos acciperent primis illis seculis: domicilia enim figebant, non semper ubi deliciæ invitabant, sed ubi commodius præsidium adversus inimicorum injurias occurrebat. Hoc ille unà mecum. Neque aliter in his, quæ suprà de Sveco-Gothis loquitur in hæc verba: *Neq; enim credibile est, primis à diluvio annis, hæc loca,* (Sveciam intelligit) *ab illis, ubi reparari genus humanum cæpit, longè dissita; inhabitata statim fuisse.* In eo autem mihi Auctor displicet, quòd displiceat ipsi eorum sententia, qui, (verba sunt Auctoris) *cæteris orbis partibus amœnioribus occupatis, deficiente incolis solo, horridiorem hanc plagam scil. Sveciam, demùm insessam arbitrantur:* Neque in hoc consentire possum; quòd *soli amœnioris invitamentum insufficientem reputet causam; cur hic locus præ aliis primò occupatus fuisse dicatur.* Quis enim viciniora loca non libenter incolat, & quærat remotiora? quis non amœniora non acceptet, & horridiora deligat? Incredibile sanè videtur, ut prætermissis fertilioribus terris, infœcundas situque asperas Noëtici nepotes prælegerint. Cùm itaque Sarmato-Gothi nostrates, ex Asia originetenùs venerint, vero simillimum est, viciniora illos ad plagam Asiæ loca, quæ sorte vel Majorum arbitrio repererunt, eaque fœcundiora occupâsse. Talia erant ad Euxinum Pontum atque Tanaim Scythica, Croatica sive Ukrainensia locorum spatia. Potiora obtulerunt latè profusi Polonorum Campi. Non dissimilia Russicæ, Prussicæ, Lietvanicæ, Livoniæ terræ fertiles & amœnæ dederunt; ut quis credat, in remotas, & eas horridas quia sub asperiore Cœli facie, nimirùm septentrionali climate repositas, Saxosæ Sveco-Gothiæ terras, neglectis per tot terrarum spatia abjectisque iis, quæ Asiæ Pontoque erant conterminæ, concessisse? Sardiniam pro Tibure, aut ultimam Thulem pro Tempe Thessalis quæsivissent? Non ex vano cum Loccenio conjicio, & concludo; Viciniores Asiæ terras, priùs quàm remotiores excultas esse; & proximas Orienti, populosiores factas, quàm quæ sunt horrido subjectæ trioni. Usque adeo terrarum incolæ, nimiâ hominum vel injuriâ vel propagine adducti, asperiora tantùm quæsiverunt, & occupârunt loca.

Refellitur.

Consensus Loccenii.

§. III.

Magnitudo Gentis Gothicæ, ex multitudine Gentium demonstratur.

GOthorum Nomen quàm amplum sit, multitudo gentium demonstrat, quibus nomen illud commune est. Is sensus est Fr. *Pollionis* [g] qui *maximas* ac plurimas Gothorum gentes asserit. Idem *Nicephori*, qui *Vesos, Gepidas, Vandalos* ad Gothos refert, solaque inter nomina, non populos differre ait.[h] Utpote quibus lingvarum, idemque vivendi institutum fuit; sed *Gepidas* in *Longobardos* & *Avares* dividit. Idem *Pompeji Tragi* [i] qui *Parthos* à Gothis venisse docet, consentiente Kranzio.[k] Idem tandem (ut alios, de quibus infrà specia-

Magnitudo gentis Gothicæ, & Multitudo.

G liter,

g in Claudio. h lib. 14. Hist. Eccles. c. 58. i p. m. 206. k c. l. p. m. 205.

liter, taceam) *Sidonii Apollinaris*: qui in Carmine Panegyrico ad Majorin. gentis hujus populos ita recenset:

- - - - - - - - *Bastarna, Suevus,*
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites.
Bassalta, Ostrogothus, Procustus, Sarmata, Moschus
Post aquilas venêre tuas, &c.

§. IV.

De Gothis Succini Collectoribus.

Quis primùm Gothorum meminerit?

QUamvis Plinius primum è Scriptoribus, qui Gothorum meminerunt, *Pytheam* nominet, qui de iis hæc inter cætera refert, quòd æstuarium Oceani, *Mentonorum* dictum, incoluerint, & ab hinc diei navigatione in Insula *Abala* electrum fluctibus adventum collegerint, proximisque Teutonibus vendiderint. Nihilominùs ante Pytheam CCL. circiter annis memorat *Herodotus* [l] Collectores Succini ad mare Septentrionale, qui non alii quàm Gothi fuerunt; *Gothones* & *Æstios* vocat *Tacitus*.

CAPUT III.

De Gothis Germanicis.

GOthos, de quibus suprà, non pauci ex Antiquis & Recentioribus ad *Germanos* referunt, iisque conjungunt. Ita illos Tacitus [a] refert, quos in confiniis Lygiorum, Rugiorum & Lemoviorum collocat. *Trans Lygios*, inquit, *Gothones regnant, paulò jam addictiùs, quàm cæteræ Romanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde Rugii & Lemovii.* Ita & Plinius [b] cui *quinq;* sunt Germanorum *Genera*: primum, *Vandali*, quorum pars *Burgundiones*, pars *Carini*, *Gutones*. Secundum: *Ingævones*, sub quibus *Cimbri* & *Teutones* & *Cauchorum* gentes, proximi Rheno. Tertium: *Istævones*, quorum pars *Cimbri mediterranei*. Quartum: *Itermiones*. Quintum: *Peucini*, qui & *Bastarnæ*. Ita & Dionysius Geographus in Carmine:

Germanique Getæ, Bastarnæ Sarmatæ.

Strabo [c] quoque Gothorum originem ex *Germania* deducit. Idem alibi, *Bastarnas* de Gente *Gothica*, supra Daciam accolas ab Germanis descendisse.[d] E Recentioribus *VVolfgangus Lazius*, *Cluverius*, *Hartknoch*, *Loccenius*, *Schefferus*, *Rutus*, *Hermannides* aliique complures similiter ad Germanos referunt Gothos, quorum nativam sedem, hodiernam statuunt oram Germaniæ. Statuisse autem sine causa tantæ eruditionis

l lib. 3.

a lib. de Morib. Germ. & lib. 4. c. 15. b lib. 4. Hist. nat. c. 14. c lib. 7. d lib. 4.

nis & doctrinæ Viros, non videtur. Causa hujus apud Auctores opinionis, non alia fuisse mihi videtur, quàm erronea Veterum notitia, in statuendis Germaniæ terminis quod sequenti §. declaro.

§. I.

Antiquorum Sensus de Terminis Germaniæ Marisque Germanici.

ANtiquos proponere Auctores visum est: Neoterici enim, quibus Antiquitas gentium tractanda venit, aut Veterum scriptis nimiùm confisi, aut Patriæ amore illecti, speciosa quæque ac gloriosa, in sua derivârunt scripta. *Tacitus*, ex Antiquis præcipuus, libro, quem scripsit de *Moribus Germanorum* [e] ipsa ferè Danubii ostia, designat terminos: ubi Germanos à Dacis & Sarmatis, mutuo magis metu, quàm montibus disjunctos collocat. Consentit *Solinus* Tacito, eosdem ferè statuens Germaniæ limites. In eo convenire videntur omnes, quòd Germania à septentrione *Oceano*; à meridie *Danubio*; *Rheno* ab Occidente; ab Oriente *Sarmatarum finibus*, intra suos conclusèrit limites. Neque in hoc dissentiunt, quòd hæc Sarmatarum confinia ignota sibi suo tempore fuerint; ideoque non satis ea explicuerint. Hinc Plinio,[f] Solino,[g] Melæ,[h] & qui descripsit orbem jussu Theodosii Junior. Imperat. Rom. Orientalis Germaniæ Terminus *Vistula* fuerit; aliis verò ultra Vistulam, ad *usq. Sarmatas Dacosq.* protensus; qua ratione Germania totam in se complectebatur Poloniam. Fusiùs hac de re Cluverius c. l. Quod attinet *maris Germanici* terminos, totum id, quod Germaniam inter, Brittanniamque funditur, à potiori Germaniæ littore, Mare Germanicum appellatum est, ab Occidente Brittannicas habens Insulas. Hoc mare non ad Occidentem, ut quidam sentiunt, sed ad Septentrionem atque Orientem protensum, includit *Mare Balthicum*, de quo Tacitus, agens de Germanis; c. l. *Cætera*, inquit, *Oceanus ambit latos sinus & Insularum immensa spacia amplectens.* Per hos sinus procul dubio intelligit *Balthicum Mare*; quod ad Germanicum pertinere, ejusdem sensus est Auctoris, atque Plinii.[i] Conferatur uterque. Atque hinc est, quòd Germania Plinii temporibus verè *Magna* audièrit, quæ scilicet Magnam Sarmatiæ, Scythiæque Partem, quin & Asiæ complexa est, teste Wolfg. Lazio.[k] Quin & Theodosii Imp. Rom. temporibus; *Germania omnisq. Gothia*, inquit descriptor Orbis, *ab Oriente fluvio Huistia, ab Occidente Rheno claudebatur.* Ex quibus deduco, Gothiam Veterum eandem fuisse cum Germania; adeoque omne fere id, quod Tacitus de Germanis refert, de Gothis quoque dicendum. Accedit, quòd idem cum Plinio inter barbaros numeraverit; Germani autem Romanis potissimùm barbari audière, teste Cluverio,[l] cujus verba refero: *Et satis constat, barbaras Romanis gentes fuisse maximè Germanos nonnunquam Brittannos.* Inde lapsus Recentiorum Geographorum, qui

e c.23. f lib.4.c.12. g c.23. h lib.3.c.3. i lib.2.c.108. k lib.1. p.m.17. l lib.1.Germ.Antiq.c.17.

qui Veterum secuti sententiam, tantos Germaniæ terminos statuêre, ut à Rheno ad Asiam usque illos protenderint, non advertentes ad id, quòd *Germani* olim *barbari* audiêrint.

Germani olim barbari.

§. II.

Auctoris Sententia de propriis Antiquæ Germaniæ Terminis.

Germania potiùs Teutonia dicenda.

ANtiquæ Germaniæ terminos, quæ potius *Teutonia* dicenda est, si pro eo, quod magis accedere veritati videtur, circumscribere velimus, non ultrà possumus eos extendere quàm utique, quò Gentis illius idioma se diffundebat. Hinc tota ferè Sarmatia, atque etiam Regiones illæ, in quibus olim Slavonica lingva dominatum tenuit, esto nunc ad Germaniam pertineant, excludendæ ab illa sint. Sic præter Livoniam, Curlandiam, Semigalliam, Prussiam, Cassubiam, Prussiam utramque & Regalem & Ducalem, erunt Provinciæ, Utraque Pomerania, Caminensis Episcopatus, Meclenburgum, Marchionatus Brandenburgicus, Lüneburgensis ac Brunsvicensis Provinciæ, pars Westphaliæ, Magdeburgensis Archiepiscopatus, pars Saxoniæ & Misniæ, Lusatia, Bohemia, Moravia, magna pars Silesiæ usque ad Cheruscos extra Germaniam antiquam ponendæ, seu ut pressiùs dicam Teutoniam antiquam; quippe in iis locis Slavonica antiqua prævaluit lingva, quod palam est ex illis Slavis, qui adhuc Venedi; Germanicè Wenden / qui & olim nativas hic habuêre sedes, & adhuc retinent, non aliâ loquentes lingvâ, quàm quæ nostræ Sarmaticæ vicinissima est, uniusque radicis cum Prussica, Samogetica, Lietvanica &c. De quo alibi fusiùs.

§. III.

Auctorum Sensus de Nomine Germaniæ.

ANtiqvum satis Germanorum nomen omnes prædicant, unde superba gloriatur antiquitate: non tamen idem inter AA. de illo nomine sensus est. Neque solum Veteres sed & Recentiores in eo dissentiunt. Tacitus lib. de Moribus Germ. Germanos annumerat populis, qui primùm transgressi sunt Rhenum: eosque appellatos *Tungros*, qui posteà Germani dicebantur. Quod Tungrorum nomen nationis, non gentis fuisse affirmat, autumatque illud vel à victore gentis Duce, vel ab ipsa gente assumptum: Neque ita antiqvum esse nomen, prout Marsorum, Svevorum, Vandalorumque; sed recens & nuper additum: Fuisse tamen Romanis cognitum longè antè, constat ex *Julio Cæsare* qui Commentario de Bello Gallico, refert de Belgis, qui sunt ex Germanis oriundi, quòd antiquitus Rhenum traduxerint. Ex his facilè infero, nativum Germanorum nomen, fuisse cis Rhenum populis, nempe citra Visurgim & Albim: putoque Tacitum, non ratione sui temporis aut Cæsariani, quàm potiùs ratione antiquorum temporum

Germani Tacito Tungri.

Germaniæ nomen Tacito novum.

porum, quibus inter ſe Germani diſcernebantur, novum Germaniæ dixiſſe vocabulum. Quo autem nomine antiquitùs Germani dicti ſint? Haud omnibus palam eſt. Cenſet Cluverius, nationali eos nomine ac proprio Teutiſcos dictos eſſe. Cui quod opponam, non habeo; habeo in quo conſentiam: puto enim Teutonum nomen, longè antiquius eſſe Germanorum nomine: ſiquidem etiam nunc, non eruditi tantùm, ſed ipſi quoque Germani vocant ſe Teutones, lingvâ Germanorum hodiernâ **die Deutſchen** / pronunciant. Neque aliter Gothorum reliquiæ in Pruſſia, Samogetia, Lietvania, Germanos appellant, quàm Teutones; ſive pro hodiernâ dialecto, Tautones.

Germanos Cluverius Teutiſcos antiquitùs vocatos contendit.

Teutonum nomen antiquius voce Germaniæ.

§. IV.
Auctorum Senſus de Nomine Teutoniæ.

UNde Teutonum Nomen provenerit? non ſatis, quod ſciam, Antiqui exprimunt. Cluverius [m] deducit illud nomen à nomine Celtico, Theut; unde ſuam Celtæ jactabant originem. Verùm nomen hoc, pro varietate Dialectorum, quæ Celtis uſu creditur, variabat. Platoni & J. Cæſari *Theut*, aliis *Thout*, & *Thót*, & *Thoyt*. Græcis ϑαὶϑ & ϑωὸϑ & ϑȣϑ; ϑέοϑ & ϑοὶδ, ore ſonabat & calamo. Hinc quidam Nomen Dei Θεός formare volunt. *Ægyptii* Deum hujus nominis, Tullio teſte, [n] videntur coluiſſe: utpote quibus *Mercurius* dictus fuit Thoyt, quæ tamen vox, Lactantio [o] interprete menſem notabat Septembrem. Hic Deus Theut, idem videtur eſſe, de quo Lucanus [p] ſcribit, quòd fuerit Galliarum Deus, dictus Theutatis, per quem Cluverius Jovem tonantem intelligit. Eruditorum nonnullis, nomen Teutonis è lingva Gotho-Sarmatica videtur eſſe derivandum; in qua *Teuto Progenitorem* ſignificat. Unde Samogetæ hodie Parentes, Avos, Proavos, *Tetis* nomine appellant. Quia verò Teutonibus maxima Parentum fuit cura, cultusque; non è vano conjicit, Teutones ab hac voce ſic vocatos fuiſſe. Verùm non placet conjectura; non enim tantùm ipſæ voces, Teuto & Tetis, inter ſe diſcrepant; ſed ipſa etiam gentium diverſarum idiomata, è quibus voces proceſſerunt; illud quidem Germanicum, hoc Gothicum; quare extraneum & peregrinum nomen Teutonicæ genti adveniret?

Unde Nomen Teutonum?

Nomen Theut variat.

Ægyptiis Thoyt quid?

An Teuto à Tetis?

Refellitur opinio.

§. V.
Auctoris Senſus de Nomine Teutoniæ.

SAlvo Doctiorum ſenſu, cenſeo ego Teutones dictos eſſe à primo Gallorum, Germanorumque Parente ſeu Principe, dicto *Teutone*, quem illi, more gentilium Deum crediderunt, colueruntque, atque id ex vetuſtiſſima utrique Genti acceptum eſt traditione. Fuiſſe autem non procul à Gothis Slavisque progenitum, exinde mihi perſvadeo, quòd inter Teutonum terras, & Pontum vicinum Aſiæ, ex qua primi hominum Progenitores egreſſi ſunt, ad occupandas Euro-

[m] in Phœdro. [n] lib. 3. de Divinatione. [o] lib. 1. c. 6. [p] lib. 1.

pæ Regiones, Gothorum Regio Slavorumque intermediet. Mihi profectò, semper illud vero proximum, quod aliis vero simile visum est: terras, quò Asiæ viciniores, eò antiquiores esse in cultu hominum; ac proinde illarum incolas succedentium in remotiores oras populorum Auctores exstitisse. Accedit, quòd Scytharum, quorum nomine veniunt Gothi, imò ipsorummet Gothorum annales, vetustiores cæterorum populorum annalibus semper habiti sint, atque etiam nunc habeantur.

§. VI.
De Distinctione Germaniæ à Teutonia.

Diversa Germania à Teutonia.

Quænam à Teutonia antiqua excludendæ Provinciæ?

QUamvis, quod supra dixi §. 3. Germani Teutonum nomine venerint, veniantque non eruditis tantùm, sed sibimetipsis ad hæc usque tempora: in re tamen diversos fuisse populos persvadet mihi Auctoritas Veterum, quibus diversa fuit Germania à Teutoniâ; atque adeo illæ terrarum oræ, quæ sunt circa Vistulam, Oderam, Albim ad usque Visurgim sitæ; ubi nunc est *Polonia*, *Bohemia*, *Mecleburgum*, *Pomerania*, *Cassubia*; nec non Provinciæ illæ, quæ hodie Germanico parent Imperio, utpote *Lusatia*, *Magdeburgum*, *Marchionatus Brandeburg*, *Lunenburgum*, *Brunsvicum*, sub Germaniæ venerunt nomine: in his enim cunctis Regionibus, lingva Slavonica, quæ cum Sarmatica & veteri Gothica eadem est, uti est lingva Vendorum, Bohemorum, Cassubiorum &c. &c. Dominium habuisse legitur. Quæ autem Provinciæ trans Visurgim sitæ, ad Rhenum & ultra extenduntur ad Teutoniam pertinent, ab aliis ad Sveviam & Alemaniam referuntur. Comprobari id videtur ex iis, quæ in Theodosii Junior. Breviario habentur, verbis; ea sunt: *Hinc ab Oriente* i. e. circa Tanaim, *Alanii*, *est*, *in media Dacia*, *ubi Gothia*, *deinde Germania.* Ex his deduco. 1. Gothiam id temporis proximam fuisse Daciæ, scil. Russiam Rubram, alias Russiæ & Lietvaniæ Provincias, post eas sitam fuisse antiquam Germaniam. 2. Quod licet Germaniæ nomine Poloniarum oræ nonnunquam venerint, nunquam tamen venisse nomine Teutoniæ. 3. In prædictis oris Lingvam Teutonicam nunquam in usu fuisse; benè tamen fuisse Gothicam, quæ ab antiquis quoque Germanica audit, semperque visa est cum Sarmatica convenire. 4. Sarmatas Germanosque succrescente tandem Gothorum potentiâ dictos fuisse Gothos; Gothosque Germanos. Unde legimus Theodosium citatum Germaniam vocare Gothiam.

§. VII.
De Germania Celtica, sive Celto-Germanica.

Germani Dioni Celtæ dicti.

EQuidem negare non possum, Teutonum nomen, sive illud sit à nomine deastri cujusspiam Theut dicti, sive à Duce deductum Teutone; antiquissimum: non tamen his ita convincor, ut credam Germanos primitùs Teutones dictos esse; aliud enim svadet Scriptor vetustus Dio, [q] qui aliter à Prioribus sentiens; Germanos, Cel-

q Dio lib. 53.

Geltas fuisse dictos, testatur his verbis: *Celtarum quidam, quos Germanos vocamus, cùm omnem apud Rhenum Celthiam occupâssent, effecerunt, ut illa Regio Celtia vocaretur.* Quo Celtarum nomine Autor non intelligit *Gallos*, ut aliqui contendunt, sed populos cis Rhenum ad Vistulam, Albimque sitos, versus Sarmatiam. Patet id ex eo; quia quos Romani Germanos vocant, eos ille appellat Celtas, Regionemque Celticam; Gallos verò Galatas, Galliamque Galatiam dicit. Hinc Strabonis [r] notatur lapsus, asserentis Gallos in Narbonensi Provincia, Celtas à priscis fuisse dictos; ab iis verò universam Galliam dictam fuisse Celtiam; Græcis potissimùm, quibus oris calamique facundia inservijt: cùm tamen tantus Auctor Celtas distingvat à Gallis sive Galatis. Concludo rem planè ad sensum Dionis, Celtasque affirmo fuisse propriè Rheni accolas Galliam versus: Germanos verò accolas Rheni versus Sarmatiam. Ita res divisa, etiam pro parte Strabonis esse potest, mentique Aúctoris, si minus calamo, deservire. Plinius [s] nobiscum est, qui Teutones & Cimbros proximos Rheno collocat.

Galli Dioni Galatæ.

§. IIX.
Sensa aliorum de Origine Nominis Germaniæ.

CUm Germaniæ populi, uti hodie audiunt, olim Tacito Tungri; Teutisci Cluverio, ac Teutones, Celtæ Dioni fuerint: superest, ut ipsum nomen penitiùs videamus, quale sit? sive ut alii inquirunt, quâ lingvâ exortum, quâ de Gente venerit. Tria distinctarum gentium idiomata videntur concurrere, atque illud sibi vendicare nomen: *Gallicum, Romanum, & Teutonicum.* Seu proprium vicinæ gentis. *Cluverius* [t] Gallis inventum tribuit, adeoque ab iis acceptum esse nomen opinatur; nimirùm, cùm Teutiscorum quidam transgressi Rhenum (inde transRhenanorum Nomen) regionem amni proximam occupâssent; effecerunt, ut ea testante Tacito diceretur Germania, à Gallis scil. devictis. Placet aliis, Germanorum nomen venisse è *Latio* sivè à Latinis desumptum, quibus Germanus idem est, quod fraterno junctus sangvine, scilicet conjunctionem animorum frequentissimam inter Teutones, Romani exprimere eo nomine studuerunt. Tandem aliis, nomen id lingvæ Teutonicæ proprium, visum est, atque è vicina ac quasi patriâ (profectum gente; ideo, quòd ultima vocis syllaba **Mann**. (Virum vox hæc Teutonicis significat) Teutonica esse videatur.

Germaniæ Vox an Gallica?

An Latina?

An Teutonica?

§. IX.
Refelluntur Sensa proposita.

FRustra Cluverius tantùm tribuit genti seu lingvæ Gallicæ, ut illi suum debeat Germania nomen, Præter id enim, quod infrà paulò de Latio dicam movet me illud & convincit; quod si Galli id nominis dedissent Germanis, citra dubium è suâ nativâ illud derivâssent lingvâ. Quod verò Nomen apparet simile in eâ, quæ hodiè viget

r lib. 4. s lib. 4. c. 14. t lib. 3. G. A. c. 20.

viget in Galliis? quæ radix aut primitivum Vocis, ex qua deducatur nomen Germaniæ? Mihi non apparet, visum est Cluverio. Quod si dixerit cum plerisque aliis, Gallicam lingvam antiquitùs fuisse Teutonicam, concesserim id sanè. Verùm inde non ad mentem Cluverii sequitur; Germanos domi suæ natum, i. e. propriâ nomen exortum lingvâ à Gallis accepisse: in quo tamen aliam mentem paulò inferiùs declarabo. Frustra & alii tantundem Latio attribuunt, cujus lingva, cùm sit à Teutonicâ longè multùmque diversa, ipsa lingvarum diversitas cogit me in contrarium. Scilicet unaquæque gens & suo sibi quærit idiomate nomen, atque ad insigne aliquod factum, vel eventum alludit, unde gloria famaque sua proveniat. Multò certè minùs videtur mihi derivandum Nomen illud à voce *germen* vel *germino*, quasi populosa hæc natio, nimiùmque propagata, indulgere otio in procreanda sobole, visa sit Romanis; indeque nomen ab iis acceperit; cùm tamen deditissima bellis gens omnem operam animumque intenderit, in his potissimùm oris ad egregia Martis edenda facinora. Illud tandem, quod de lingvâ affertur Teutonicâ, deque ultimâ syllabâ vocis, exiguum momentum affert. Integram necesse est derivari vocem, ut ad eam pertineat lingvam, à qua derivatur. Quod si compositam vocem quis dixerit: Gehr-Mann / quasi *vir ebulliens* ab *ebullire*, gieren / vel Gar-Mann / quasi *Valdè-Vir*, aut Jahr-Mann / i. e. *Annuus Vir*; Hoc esse respondebo, vocum derivationes fingere, aut per vim ad suum genium aut ingenium detorquere, quod certè sensatis, doctisque Viris minimùm licere puto.

§. X.
Auctoris Sententia proponitur.

QUoniam triplicem ab Origine Nominis Germaniæ rejecimus lingvam, quæ tamen consona ex aliorum sensu, atque conveniens Nomini videbatur; de alia verò Auctores silent, inquirendum est quænam sit lingva? nam certò aliqua esse debet, cui Nomen suum acceptum referat Germania. Convenientissimum mihi videtur esse, ut è proximâ, sive vicinâ Teutonum lingvâ origo nominis inquiratur; cùm ipsa quoque Germania vicina fuerit eorundem, quia proxima populis Rheni accolis. Neque ulla occurrit vicinior, quàm Gothica lingva quam communem fuisse olim Germanis, sicut & ipsum fuit Gothorum nomen; patet ex eo, quòd Gothia olim ad Rhenum usque se extenderit, nempe ultra Albim & Visurgim, ad Hercyniam silvam; cujus accolas fuisse Gothos alibi demonstrabitur: & supra ex Veterum testimonio demonstratum est, sub Gothorum nomine venisse Germaniam. Cùm itaque Gothica & Germanica lingva eadem olim fuerit, non videtur aliundè desumi certius posse Nomen Germaniæ, quàm è Patriâ suâ, nec alibi inquiri melius, quàm in Patriâ. Gothis Germanus, qui *Ger'-manes* dictus, *sagacem* denotat, vel *rectè intelligentem.* Et vero simile est, hoc tam præclaro nomine dictos à Gothis fuisse

Nomen Germaniæ derivatur è lingvâ Gothicâ.

Quid denotet vox Germanus?

isse Germanos, cùm ipsi etiam Gothi consimili se nomine appellârint. Quod & cæteris usitatum fuisse gentibus suprà innuimus : Innatus enim mortalium animis est, decori famæque amor, adeo ut etiam privati nomina sua vel aboleant ignobilia, vel assumant nobiliora. Patet id, ne à longè exempla petamus, in ipsa Gothia nostra. A *Slawa*, i. e. *fama* Slavi. A *Polo* vel *Pole*, in Campo Poloni, tanquam campestres animæ. *A præpotenti Dominio*, Sarmatæ, à *Pruta*, i. e. *Prudentia* Pruteni, aut sibi ipsis indiderunt nomen aut ab aliis indictum receperunt. Atque hi Germano-Gothi, quamvis juxta Tacitum, *literarum secreta ignoraverint, vitaq́; eorum omnis in venationibus & studio rei militaris* constiterit, ingenii tamen bonitate & judicio tantùm pollebant, ut non opus habuerint, multas condere leges. At potissimùm illorum sagacitas in *armorum exercitio* & *redhibitione fidei*, semper enituit: hinc Tacitus, [*] *nullos mortalium armis ac fide ante Germanos fuisse testatur.* Cæteras eorundem virtutes fusiùs prosequitur citatus Author, cujus vocalis stylus tacere me cogit. Unicum prædictis addo, quòd Germanorum Nomen, simul cum Gothornm nomine, Romanis innotuerit, neque ante Gothicæ gentis famam quisquam de Germanis scripserit. Suspicor autem tribus vel duobus circiter seculis antè Christum natum Gothos venisse in notitiam Romanorum, quamvis olim alio, nempe, Scytharum nomine.

Sagacitas Germanorum.

CAPUT IV.

De Sedibus Gothorum in Scandia; sive de Gothis Svedicis, vel Sveco-Gothis.

S*Candia* est Pen-Insula Maris Svetici, olim Daniæ provincia, nunc Speciæ Regno subjecta. Auctores, qui nostros Gotho-Sarmatas ex hac deducunt pen-insula, veluti nativa Gothorum sede, non intelligunt hic illius nomine ipsam Insulam (lato sensu loquor) vel *Provinciam*, sed totum terræ tractum, qui ab illa, ad extremas usque Septentrionis oras extenditur; totum scil. *Speciæ Norwegiæq́; Regnum* hodiernum. Argumentum Auctorum potissimum est, quòd in hoc terræ tractu supersit populosa quædam Provincia, *Gothia* nomine; unde & Gentem & Nomen Gothorum descendisse probabilissimum videtur iis: atque ita, uti sentiunt, affirmant. Est autem decumana pro hâc sententiâ Auctoritas, quam infra §. II. cum Auctore Principe propono.

§. I.

De Nomine Scandiæ.

CEleberrima Insularum Septentrionalium *Scandia* Geographorum mentem calamumque excivit; & non solùm ipso suo *situ*, sed ipso etiam suo *Nomine*: Hinc tot diversa reperit nomina, ut inerudito Lectori alia poenè videatur, neque agnoscatur in se, quæ tantùm

[*] lib. 13. Annal.

à se distat in nomine. *Olao* & *Joanni*, *Magnis* cùm nomine tùm eruditione Viris, *Scandia* & *Scandinaria* dicitur. Similiter Joanni *Loccenio*. Jacob *Zieglero*, Georgio *Stiernhelm*. *Scanziam* vocat; *Jornandes* Istulæ ostiis oppositam, idem *Scantiam*, *Scandinaviam*, & *Gothi-Scaniam* dicit. *VVolfgangus Lazius*: & cum ipso plurimi *Schoniam* & *Schonlandiam* nominandam putat. Alii *Scaniam* & *Schoniam* nominant. Germani **Schonen**. Ex antiquis *Ptolomæus* ac *Plinius*, quasi proprio ac primarie Nomine *Scandiam* appellant; cum quibus nos in præsenti. Designari eam volunt à *Procopio* per ultimam *Thulem*. *Plinio*, *Alter Orbis est*, *incompertæ magnitudinis*, *complectens Scandinaviam & Finningiam*. *Jornandes* adeo populosam prædicat Orbis partem, ut non vereatur eam, *Officinam & Vaginam gentium appellare*. Patebit res ex citando infra Auctorum textu. *Valerius Flaccus* de eadem canit

----- *Neque enim plaga gentibus ulla ditior.*

Jacob. *Zieglerus* dicit eam sub se longo ambitu continere Provincias novem, quas & recenset, sed de his infrà suo loco.

§. II.
De Nominis Scandiæ derivatione.

Unde derivatio nominis Scandiæ? An ab Ascena? An à Germanico Schantzen. An à Germanico See-Kant. An à Danico Schonen seu Schönland. An à Sarmatico: Skandinnu?

IN derivatione Nominis hujus Auctores non conveniunt. Quidam ab *Ascena* filio Gomer, à quo olim *Cimbros* derivari volunt, deducunt. Hinc Scandia *Scania* illis est, vel Sconia. *Hugo Grotius* à munimentis deducit, quæ Teutones **Schantzen** lingvâ suâ vocant; quod scilicet scopuli illi Norwegici sint instar munimentorum. Hinc Scandia Auctori Scanzia. *Joachimi Pastorii* non inanis conjectura est, vocem hanc è Germanico **See-Kant** constructam esse; quod lingva Teutonum *Maris Angulum* significat. *VVolfg. Lazius* cum plerisque aliis à Teutonibus profectum opinatur nomen, sed à Latinis depravatum. Hinc illi pro Scandia, *Sconia* vel *Schonlandia* dicitur. i. e. *Pulchra terra*, cui ille totum Sveciæ & Norwegiæ adjungit Regnum. Eruditorum non nemo, deductum putat nomen à voce Sarmatica *Skandinnu. Submergere*. Suspicatur enim, Nautas, Maris Balthici accolas, tempestatibus abactos, in scopulosa illa adeoque naufragiis obnoxia Insulæ littora, interrogatos ab Insulanis vel conterraneis, ubi fuerint, vel quibus ab oris venerint, respondisse; ibi fuisse atque inde se venisse, ubi vix non submersæ naves, vixque unà cum iis omnes non periêre, tum ob scopulos tum ob tempestatem. Hinc Scandinaviæ nomen datum à Sarmatis loco sive Insulæ illi. Sed hæc nominis derivatio à longè petita, nimiùmque detorta videtur mihi. Sentio ego rectiùs Scandiæ vel Scandinaviæ Nomen, vocem esse Sarmaticam, atque *locum honoratorum* denotare. Mos enim Sarmatarum fuit ille, ut non tantùm ipsi superiores suos impensè colerent, sed illorum cultum, aliis etiam commendarent cùm exteris tùm posteris. Inde honorifica genti suæ indiderunt nomina. Ut à *Slava*, *Slavi*, *Venedæ* quasi *Pandite* i. e. Domini, *Prussi à prudentia* dicerentur. Ita quoque Scandiæ nomen, datum ab incolis, derivatum à *Skannu*; quamvis significet etiam id, *quod benè sapit*; deductum tamen; à ver-

Vox Scandinaviæ Sarmatica. Quid denotat?

à verbo, Skannidinnu, denotat ſæpius etiam id, quod eſt: *honoratum & amabilem facio*. Inde Skandinaviæ Nomen, quod eſt *honoratorum* & *amabilium* locus. In quo liberum relinquo cuique judicium. Confirmor tamen in hac nominis derivatione, ſubſcriptione Illuſtriſſimorum Comitum de Gothia, quorum Nomina, *Statuta Concilii IIX. Toletani* continent, cui ipſi interfuêre Legati; his expreſſa: *Odoacer*, *Ofilo*, *Comites Cubiculariorum*. Adulphus, Aphrila, Venedarius *Comites SCANZIARUM*. Ruchillus *Comes Patrimoniorum*, Gunifridus *Comes Sacrorum*. Advertat velim eruditus lector, non Provincias hîc vel territoria certa, ſed *Officiorum* præ ſe ferre argumenta. Fuerunt nimirum *præfecti* ſive *Comites Cubiculariorum*, *Patrimoniorum*, *Sacrorum*, ſimiliter *Scanziarum*: Neque fruſtra ſcriptum legitur Scanziarum *in plurali*, non *Scanziæ* Provinciæ, quæ *una* ſcilicet habebatur Inſula. Quare Scanziæ nomen aliud denotâſſe Gothos, quàm Provinciam, hinc mihi certò perſvadeo: nimirum aliquod Principis officium putaverim. *Præfectum rei coquinariæ*: in quam me ducit ſententiam, illa Gothorum in Italia vox *Scanſas* ſivè *Scenſas*; quæ *Pomp. Feſto*, ubi agit de ſignificatione vocum; *Cænam* denotat. Ex his patere cupio lapſum *VVolfg. Lazii* Viri aliàs non ineruditi, qui ſuprà ſcriptorum conſcius, tamen Scanziæ nomen ad Provinciam detorquere niſus eſt, à Jordane, ut reor, ſeductus. Patere inſuper velim inconſtantiam Veterum & qui illos ſeqvuntur, in deſignandâ Scanziâ, quam ex potiori argumento in noſtris deſignandam cenſeo Maris Balthici Oris.

Scanzia quid?

Scanſas Italis quid?

§. III.

Affertur Jornandis ſententia, ejusque ſequacium.

JOrnandes Ravennatum Præſul, Vir juxta plurimorum ſententiam, natione *Gothus*; juxta B. Rhenanum *Alanus*, ita de origine ſedibusque Gothorum diſſerit: *Ex hâc igitur Scanziæ Inſula, quaſi officina gentium, aut certè velut vagina nationum, cum Rege ſuo, nominat Berig Gothi quondam memorantur egreſſi; qui ut primùm navibus egredientes terras attigêre, illicò nomen loco dederunt. Nam hodiè illic, ut fertur Gotiſcanzia vocatur. Unde mox promoventes ad ſedes Ulmerugorum, qui tunc Oceani ripas inſidebant, caſtra metati ſunt, eosque commiſſo prælio, propriis ſedibus pepulerunt; eorumque vicinos Vandalos jam tùm ſubjugantes, ſuis applicuêre victoriis. Ibi verò magna populi numeroſitate creſcente, etiam pœnè quinto Rege regnante poſt* Berig, Filimer, Filiquod, Augis Calii Arigis *conſilio ſedit, ut exinde cum familiis Gothorum, promoveretur exercitus, qui aptisſimas ſedes, locaque dum quæreret congrua, pervenit ad Scythiæ terras, quæ linguâ eorum Ovim vocabantur.* Hæc Jornandes, qui, prout ipſe refert lib. de rebus Goth. fatetur ſe ex *antiquis Gothorum Carminibus* accepiſſe; inſuper ex *Deuxippo* & *Ablavio*; quorum libros, dolendum, iniquitas temporum an hominum? ſubſtulit. Hunc veluti anteſignanum Ducem, ſecuti ſunt pleno numero Auctores, ita, ut nihil à ſenſu, à verbis vix nonnulli recederent: freti nimirùm unicâ auctoritate Viri, cujus doctrinæ cum dignitate conjunctæ antiquitas viſa eſt ſuffragari. Atque inprimis *Paulus*

lus Diaconus, qui ex eâdem Insulâ suos producit *Longobardos*. Deinde *Petrus à Dysburg* Secul. XIV. Auth. eandem *Gotho-Prusſis* designat originem. Horum presserunt cæteri vestigia, *Svetici*, *Danici*, *Prusſici*, *Germanici*, non pauci, nec postremi Scriptores. E quibus *Kranczius*. *Joannes* & *Olaus Magni*, *VVolfg. Lazius*, *Hugo Grotius*, *Georg. Golnicius*, *Joannes Loccen. Schefferus*, *Rutger*, *Hermannides*, ut aliorum nomina taceam, quibus accepta probataque est Jornandis opinio, Scandiaque Patria Gothorum sedes proclamata. Favere illis videtur *Cluverius*, *, sed *suo sensu*: Dum Gothos non jam Svecis, sed jam Germanis suam debere originem, alios tamen à Getis populos esse contendit.

§. IV.

Refellitur sententia Jornandis de Migratione Gothorum, è Scandia.

JOrnandes, vel quisquis Auctor, migrationes illorum temporum proposuit; asserit incolas terrarum Sveciæ, quos Sveco-Gothos nominant, postquam in ingentem excreverunt numerum, non capiente multitudinem populi Patrio solo, è suis concessisse sedibus, atque in alienas longè oras, scilic. ad *Pontum Euxinum*, & usque in *Thraciam* demigrâsse: Verùm unde hæc asserta Jornandi? plerisque dubia Auctoribus, mihi inprimis adeo incerta, ut censeam commentis proxima Æsopicis, nec fide digna nec Viro. Quis enim credat, ignotam gentem, lingvâ, moribus, religione longè dissimilem, vel terrâ per tot populosas, situque amoenissimas Sarmatiæ oras, citra ullam remoram aut renitentiam populorum alioquin bellacium, armisque potentium penetrare potuisse? vel mari cum tanto apparatu armorum, militumque numero, per tot undarum spatia à Septentrione ad Orientem, scil. à mari Sarmatico per tot immensa oceani spatia ad Euxinum & ultra transire ac pertingere, inter tot obvios Insularum obices terrarumque in Pen-Insulis & Continenti tractus valuisse? quæ sors, aut quæ ratio eò illos deduxerit? Casune an consilio devenerint? Unde tam populosas ac bellicosas gentium Provincias, tam citò ac felici marte subjugârint, subjugatas possederint? Sed concessis Auctori Gothorum migrationibus, quas diversis seculis extitisse multi palam testantur Auctores: legimus enim longè ante natalem Christi, Gothos incoluisse Prussiam; legimus eosdem longè post occupâsse sedes ad Tanaim, inde movisse in Thraciam, Daciamque tenuisse: Fatendum est, quod rationi congruum: neque enim contra torrentem niti intendo. Nullus ambigo de Migrationibus populorum Sveciæ; adjuncta me tamen harum migrationum, de quibus Jornandes, vel maximè removent ab Auctoris sensu. Ut locum tempusque taceam, ipse migrationis modus urget me ut contra Jornandem audentior eam. An enim ita Sveco-Gothi è suis commigrârunt sedibus, ut novas sectantes, evacuaverint veteres, aliisque occupandas reliquerint populis? Itane incertas quæsiêre terras, ut certas priores penitùs deseruerint? cre-

Dubia & incerta Gothorum Migratio è Scandia.

Modus Migrationis magis incertus.

* lib. 3. Antiq. Germ. c. 34.

crescente potissimùm è propagatione hominum populi numero? Certè ipsius etiam Jornandis calculo non videtur sequi: Gothi hoc seculo incoluerunt Prussiam, altero regiones ad Tanaim? Neque illud rectè concludit argumentum: Venedi priore seculo inhabitârunt Prussiam, posteriore Æstii. Ergo Vendi expulsi ab Æstiis aliò commigrârunt, Patriâ terrâ Æstiis in possessionem relictâ. Non insolens est, non solùm in Physicis secundum Philosophos, sed in moralibus etiam, ut à principali parte, sive potiori, denominatio toti vel universo tribuatur. Certè non rarò contingit, ut non solùm à districtu, ora, insigni, sed ab Urbe quoque notabili, Regni aut Provinciæ nomen proveniat; multò magis à principe populi alicujus familia. Ita scilicet, quia *Æstiorum* prosapia cæteris in Prussia præeminuit, indèque principatum gentis tenuit; hinc loco nomen populoque venit; hinc Prussia *Æstia*, Prussique dicti sunt *Æstii*; manente eodem loci inquilino: neque enim, mutato nomine, veterem mutari colonum necesse est. Unus autem, idemque censetur populus, qui nec lingvâ nec moribus differt: quæ duo unius radicis ac originis gentes indicant. Quare cùm Legati ab Æstiis ad *Theodoricum* Gothorum Regem venerint, eique dona nomine gentis suæ obtulerint, profectò *Æstii* non alii tunc populi, quàm *Prussi* aut *Venedi* fuêre; licet mutaverint nomen. Æstiorum sangvis, qui inter Prussos aut Venedos tenuit dominatum. Rem declaro exemplo, è vetustis Patriæ petito Annalibus, nimirùm Prusso-Polonis. Prussica gens è cunctis in tota Europa gentibus adeo potens exstitit Seculo X. aut propè XI. ut tot imperaverit Provinciis, quot Christianorum vix aliquis Principum, illo ævo visus est imperare: Omnis namque *Masovia*, *Livonia*, *Curonia*, *Lietvania*, *Samogethia*, *Magna Poloniæ pars*, ad Prussiæ tunc spectabat imperium; de quo fusiùs in Deliciis M. Unde & formidanda gens finitimis exstitit, & in majorem præ cæteris assurrexit famam virtutis, fortisque Martis. Eadem sequente proximè Seculo decrevit adeo, & famâ nominis & imperio; ut ipsi se Prussi, Prussos vocare detrectâverint, vixque intra suæ Prussiæ terminos constiterint: Tantùm ipsos & ignominiæ suæ puduit, & ignaviæ. Jam verò sub illud planè tempus, quo decrescebat Prussia, virtus nomenque Polonorum assurgebat, efflorescebat imperium. Talis etiam nominis mutatio vario ex argumento evenire potest. Imò ex malè accepta referentis informatione. Recens addo Exemplum. Anno 1657. bello inter Poloniæ ac Sveciæ Reges exorto; cùm Elector Brandebugicus à partibus Svecorum stetisset in armis; Samogeticus miles ad Memelam Urbem in finibus Prussiæ sitam, castra metatus, observabat pervigil Urbis præsidiarios, ne suas inopinatis excursibus infestarent stationes. Et quia in motione Castrorum miles ille pro more suo & lingvâ, *Lelo! Lelo!* ingenti sublato clamore personabat, à Prussis Zalavonis in Memelensi, Ragnetensi & Tilsensi Districtibus, ex sono vocum illarum dictus est *Lelokai*. Quam quidem denominationem Zalavoni Prussi hucusque retinent, adeò tenaciter, ut ab eâ expeditione, quam Lelokarum vocant, annos vitæ suæ, rerumque gesta-

Unde Prussi Æstii?

Prussorum Potentia seculo X. & XI.

Provinciæ ad Prussicum Imperium pertinentes.

Decrescens Prussia.

Samogethæ Lelokai dicti. Unde?

rum computent: Unde dicunt: Pirru czeſu Lelokin. i. e. ante tempus Lelokarum; ſive; ante Expeditionem Samogetarum, hoc vel illud factum eſt. &c. Quod ſi quis rei ignarus, ex relatione Zalavoni cujuspiam de expeditione Lelokarum narrantis, temporum locorumque illorum ſcriberet hiſtoriam, Lelokasque poneret in iis oris pro peculiari quadam gente; quantam difficultatem pareret poſthumis Geographis atque Hiſtoricis, ex malè accepta referentis informatione? Inquirerent enim illi Lelokas circa Memelam, nec tamen unquam & usquam reperirent; quia nulla fuit eo nomine inſignita Provincia, aut terræ tractus. In ſimilem arbitro me ac judice, errorem incidit *Vincentius Kadlubko* XII. Seculi Auctor: meminit ille quorundam in Pruſſia populorum, quos *Soladamiſtas*, & Polexianos vocat, de quibus nullus, quantum ſcio, ex Hiſtoricis Pruſſiæ refert, nullus ex aliis memorat: cùm tamen ſi uſpiam in Pruſſia ejus nominis populi fuiſſent, certè reperiſſent illos Ordinis Teutonici milites, qui in eas Pruſſiæ oras Seculi XIII. initio advenerunt, neque vicini tacuiſſent Scriptores; ſicut non tacuerunt Sambienſes à Sambia, Natangos à Natangia &c. &c. dictos. Apparet itaque Kadlubkianos populos à vicinis ex contemptu vel alia de cauſa ſic appellatos eſſe. Mihi probabile eſt, à Maſoviâ gente viciniſſimâ ita vocatos, alteros, quod betulata ſeu ſilvas betularum arborum feraces incoluerint, alteros, quòd in patulis degerint campis, atque ex iis in Polonorum terras frequentiùs hoſtiliter excurrerint; Verba ſiquidem illa è Pruſſica lingva id denotant. Addo, fieri & nunc poſſe nuncupationem novam terrarum à novo Principe, qui ſuo nomine eas indigitet. Ita *Pruſſi* ad Regnum Poloniæ ſpectantes, vocari meritò queunt, *Poloni & Regii Pruſſi*: qui verò Electori Brandeburgico parent: *Ducales, Electorales, Brandeburgici*: Ita à *Vannio* Rege, Regnum olim *Quadorum Vannianum* nominatum eſt: quod nomen cum ipſomet Auctore, ejecto Rege Vannio, deſiit; Quadorumque iterum receptum nomen. Hinc autem nemini opinari aut ſuſpicari fas ſit, quòd cum nominis mutatione mutetur populus, novusque ſemper cum novo Principe adveniat, neque enim Veteres migrare colonos, ſedesque mutare ſuas neceſſe eſt, ad adventum novi Principis, multò minùs novi nominis.

Lapſus Vinc. Kadlubkovi.

Soladamiſtæ, Polexiani qui?

Quid denotent vocabula illa?

Regnum Vannianum unde? Fuit Quadorum.

§. V.

De Tempore Migrationis Senſa Auctorum proponuntur.

AD meliorem eruditi Lectoris informationem, reique propoſitæ intelligentiam trutinandum hîc ipſum tempus eſt migrationis Sveco-Gothicæ è ſua Scandia, in Ponticas Thracicasque longè diſſitas oras: aut potiùs diſcutiendæ hâc de re Auctorum ſententiæ. Joannes Magnus è ſenſu Jornandis, quo prodromo in ſua Svedica uſus eſt hiſtoria refert, [y] migrationem hanc contigiſſe, anno Conditi Mundi 2531. poſt diluvium 875. ante natum in carne DEUM 1436. Miratur non ſine cauſa *Cluverius*, alterius ſenſum, relatum alterius; & *quis*, inquit, *eo tempore, quo & ipſa gens barbara, literarum morumq; expers & Orbi*

Tempus migrationis.

Joannis Magni Senſus.

à Cluverio refutatur.

[y] lib. 1. Hiſt. Svec. c. 15.

Orbi cultiori incognita fuit, talia annotavit? Unde eam historiæ certitudinem post annos bis mille demùm, Jornandes, vel quem ille secutus est, Deuxippus habere poterat, qui ut testatur Hugo Grotius, Gallieni temporibus vixit? Ipsa Gothorum carmina, quæ ex Ablavio allegat Jornandes, ea potissimùm respiciunt tempora, quæ aliquot Seculis Natalem CHristi subsecuta sunt. Non vacat suspicione inter Auctores, *Magnus*, quod multa *de suo* adjunxerit, atque conjecturantis inventa cerebri, calamo operique historico, tanquam certa & indubia commiserit. Ad quæ refero, Illum Regum XIII. Sveco-Gothorum Catalogum in Joannis Magni cerebro, tantùm natum. Testatur id palàm Cluverius, qui affirmare id ausus: *Si ea, quæ Joannes Duce Jornande, è Getarum, Gothorum, Scytharumq; gestis rebus, suis Gothis falsò adjunxit, demas; vix tertia pars universi manebit Operis.* H. L. Jornandis Patronum agere vult *Grotius*, in hoc tamen ab illo dissentit, quod *migrationem* illam *non esse tam antiquam* censeat, sed *trecentis ante divinos CHristi natales contigisse annis. Pytheas* Plinianus Hugonem movit ad hujusmodi sensum, quòd *Gothorum Succinum in Prussia colligentium* meminerit Auctor circa idem tempus, quo ipse vixit. Quantùm verò ex ipsius Jornandis descriptione constat nobis; migrationem hanc ponit ille factam sub *Filimero* & *Fastida* Ducibus, quorum alterum in Prussia permansisse dicit; priorem scilicet; alterum ad Mœotim abiisse, Imperante Romanis *Claudio*, sub quo & *Daciam Fastidas* occupâsse dicitur. *Nicetas Chroniates* in dubium vocat hoc migrationis tempus, sensumque Jornandis: scribens enim de Gothis Daciam invadentibus, duo diversa proponit. *Primum.* Gothos eo tempore non *uni Duci* paruisse, sed in *plures divisos* fuisse *tribus. Secundum.* Migrationem factam esse non Claudio, sed *Marco Aurelio* Imperat. Roman. Ita enim *Dio*, quem refert *Theodos.* l. 71. *Æstingi*, inquit, *Gens Gothica multis Marcum precibus obtestati supplices, ut pecuniam & agros acciperet, hac conditione impetrârunt, si nationibus tunc bellum adversus eum gerentibus, cladem intulissent. Et præstiterunt sanè nonnihil eorum, quæ polliciti erant.* Atque hæc occasio Romanis fuit, ut Gothos cum Dacis confunderent, sive in unam utrosque referrent gentem, cùm audiissent Gothos è Patriis egressos terris, orbemque Septentrionalem pervagatos, Daciam obtinuisse.

Joannis Magni figmenta.

Hugonis Grotii Sensus.

Gothi Succini Collectores in Prussiâ.

Niceta Chron. refellitur.

§. VI.
De Variis Scandinaviæ populis, aliorum sensa.

MUlti, quos ex Plinio, Ptolomæo, aliisque veteribus Cluverius & Hermannides in sua recenset Dania, populi erant Scandiæ seu Scandinaviæ. Varia est de iis Auctorum sententia. Ex omnibus Principes erant *Hillevones*, quos Auctores citati scil. *Cluverius* ejusque sequax *Hermannides* putant esse incolas *Hallandiæ* in Sconia, Danis olim, nunc Svecis subjecta. Jornandes *Hallin* eos nominat, quos Ortelius dicit esse *Alveones*. Althamerus refert eosdem esse, qui ab Ammiano Marcell. dicuntur *Haili*, ponitque illos in Insula *Bornholm. Villichius* facit Incolas pen-insulæ *Heil* sive *Heel* prope Gedanum. *Ortelius* putat esse

Hillevones Princeps Scandiæ populus.

An incolæ Hallandiæ?

An Alveones.

An Insulani Bornholmenses?

An Heelenses prope Gedanum.

An Dalicarlii? esse *Dalicarlios* in Svecia, ideo, quod lingva Svetica *Hilvonis* denotet *monticolam*. Plinius autem Hillevones ad montem *Sevonem* collocat *Riphæis* non absimilem. *Secundo* ponunt ordine *Gutas*, quos *Gotlandos* Svecos, qui & *Gyllandi* audiunt, eorumque terram, non Gotlandiam antiquo nomine, sed novam Gothiam appellant. *Tertio* loco *Firæsos* statuunt incolas Provinciæ *Fiering* in Svecia. *Quarto* numerant *Lupiones* quos Cluverius putat esse *Lappones*. German. **die Lappen**, à Russis audiunt *Loppi*, à Svecis *Lappes*. *Hermannides Scrito-Finnos* intelligit, qui Danis & Svecis *Serik Findes* dicuntur: In Privilegiis Sveticis & Norvegicis, *Scredefindon*, *Scredefindones*, & *Scredefindan* audiunt, ipsaque regio *Scredevindia*. Alii eos ultra Bothnicum sinum ad montem usque *Skare* extendunt. *Quinto* numerantur *Finni*, quos *Finmarchia* Norwegiæ Provincia excipit; in qua Paulus Diaconus *Scrito-finnos* reponit. His annumerantur ex Plinio & Ptolomæo *Chadini* & *Favones* neque tamen Auctores illi explicant, quinam sint hi Scandiæ populi. Hermannides adjungit iisdem *Dauciones*, quos putat esse eos, qui Jornandi *Gautigothi* sunt. *Sexto* recensentur Carbones. Ii Cluverio sunt accolæ Carpathi, Hermannidi sunt Carelii ex Provincia Svecorum celeberrima. *Septimo* tandem Sitones referunt, quos volunt esse Norwegiæ populos: ipsam verò Norwegiam Insulam esse Nerigon dictam, de qua Plinius. De Sveonibus, qui etiam, Scandinaviæ populi reputantur, alius erit agendi locus Cap. seq. Quæ omnia eò collimant, ut Regna Sveciæ & Norwegiæ nomine Scandiæ comprehendant, sed quantùm erraverint patet ex eo, quod Scandiam Veterum, quæ ad Orientem & Meridiem sita est, ad Septentrionem posuerint. Neque evincit, quâ se tutantur, Veterum Auctoritas; his enim nostræ Septentrionis oræ, potissimùm in quibus Sveciæ Norwegiæ regna condita sunt, prorsus fuêre incognitæ ipsomet attestante Plinio. Quæ si Plinii ævo Romanis fuêre incognitæ; quantò magìs ævo Ptolomæi, qui tot annis præcessit Plinium. Nostra tamen terrarum spatia benè nosse tunc Romani poterant, quòd essent Ponto, atque Asiæ, adeoque Græciæ propiora, imò confinia Romani Imperii; quamquam neque horum sufficientem habuêre notitiam. Confusam concesserim, neque ex tot relationibus diversis diversorum ad Ponticas oras commeantium, atque inde remeantium; quibus faciles in Latio dabantur aures. Jam quis noster hac de re sensus sit, exponent seqq. Paragraphi.

Gutæ vel Gotlandi. — *Firæsi qui?* — *Lupiones, an Lappones?* — *An Serik-Findes?* — *Finni.* — *An Scrito-Finni?* — *Chadini & Favones.* — *Dauciones:* — *An Gauti-gothi?* — *Carbones.* — *An accolæ Carpathi,* — *An Carelii?* — *Sitones.* — *An Norwegii?* — *Insula Nerigon.* — *Sveones.* — *Tempore Plinii Romanis incognitæ oræ,* — *Magis ævo Ptolomæi.*

§. VII.

Refellitur AA. Sententia proposita de Hillevonibus.

Hillevones non sunt Hallandi.

H*Illevones*, Princepsne sit an primus Scandiæ populus? crediderim Auctoribus. Qui tamen illorum nomine *Hallandos* intelligi contendunt, multùm mihi aberrare videntur. Neque enim vox Halland, Hillevonio alludit nomini, neque congruit satis, nisi velint fingere, Hillevonum Terram Provincialem, Halland olim, vel Hillevoniam esse vocatam. Quid, quòd illius terræ Incolæ, non soleant ita inflectere populorum nomina, ut in *Onis* terminent, quod cum Græcis & Lati-

Latinis commune habent, proprium id eſt Gotho-Sarmatis, quorum frequentiſſimæ voces, ita deſinunt. Rem declarant ſequentia nomina: *Gothonis, Sudonis, Zalawonis, Nadrawonis, Pomeſanis, Mieſc͡zionis, Laswonis, Curonis, Kleipedonis, Karalauczonis*, & ſexcenta alia ſimili ſono terminata. Inſuper terra illa Hallandica, minimè reſpondet locorum ſpatio terræ Hillevoniæ, quæ longè amplior, diffuſiorque fuit totâ Hallandiâ; dicitur enim Plinio: [z] *Magna gens Hillevonum.* Neque id mirum cuique videatur: hoc illa numeravit pagos: pagos, inquam, non vicos, i. e. territoria atque ditiones. Neque arridet ſenſus *Villichii*, cui Hillevones viſi ſunt Incolæ Pen-Inſulæ, ſive Iſthmi Polonæ, *Heel* dictæ prope ad Gedani ſitæ littora. Quæ enim utriusque paritas? alterum auguſtum ſatis, alterum anguſtum nimis eſt territorium. Scilicet multùm mari terràque differunt Hillevones ab Heelenſibus. Neque juvat nuncupari illos ab Ammiano Marcellino Haillos; num enim hoc nomine Auctor Hillevones intelligat, neque ex ipſo, neque ex probato Auctorum ſenſu usque huc didicimus. Neque ſenſus Ortelii placet; Hillevonios Dalecarlios arbitrantis ex eo, quod in Svetica Lingva, Hilvonis denotat monticolam. i. e. montis accolam, (monticulus, parvus mons) Dalecarlii verò ſint Montis illius accolæ, qui Sveciam à Norwegia dirimunt. Equidem *Plinius*, qui Hillevones ad montem *Sevo* dictum, Riphæis non abſimilem collocat, favere videtur Ortelio: de quo ita Auctor: *Sevo*, inquit, *Mons ibi immenſus nec Riphæis jugis minor, immanem ad usq; Cimbrorum promontorium efficit ſinum, qui Codanus vocatur, refertus Inſulis; quarum clarisſima Scandinavia eſt* &c. &c. De hoc monte Cluverius [a] ita diſcurrit: *Mons ille, qui variis nunc nominibus Skaſos, Fielle, Doffrafiel, aliisq; indigitatur; à Mari albo* (ſive is Granicus eſt ſinus) *& extremis Lappiæ finibus, lunato curſu, primùm inter Lappiam & Biarmiam, dein per ipſam Lappiam mox inter Boddiam ac Finnorum Marchiam ad fauces ſinus Codani, verſus Cimbrorum promontorium CCC. circiter millibus paſſuum longitudine procurrit.* Hæc Auctor. Cæterùm non ſatis nobis aliundè conſtat de illo: ſi enim de ipſa Scandia nihil certi ex AA. afferri inferrique poteſt, ſitnè illa Sconia Sveciæ, an Balthia noſtra? multò minùs aut æquè incerti aſſeri de monte poteſt, quòd illius nomine intelligenda ſint, Montium Norwegicorum juga, prout vult Ortelius: Mihi ſanè non leve dubium eſt, alterius eſſe Orbis aut vicinæ terræ, de quo §. ſeq. Quid? quod Solinus [b] ad montem hunc Ingævones habitare affirmet. Tacitus Cimbros ponat; Plinius [c] non procul à Rheno collocet. Opponunt è Neotericis nonnulli, ut auctoritatem Veterum: aut ſuam potiùs tueantur ſententiam; non poſſe, inquiunt, terram aliam, cujus ſint incolæ Hillevones, oſtendi, præter terras Sveciæ aut Norwegiæ; neque enim poteſt reperiri alia; in qua Mons eo nomine inſignitus reperiatur: In terris ad Mare Balthicum ſitis, neque auditur mons Sevo, neque uſpiam invenitur. Hæc tela adverſariorum contra nos intorta facilè in Auctores recident; ſi terram Hillevonum propriam, hactenus iis minùs cognitam, alibi

 quàm

z lib. 4. c. 13. lib. 2. c. 8. a lib. 3. Antiq. Germ. c. 37. b c. 23. c lib. 4. H.N. c. 14.

quàm in terris Sveciæ Norwegiæque oſtendero; atque eandem Veteribus abſconditam patefecero, in terris Sarmatiæ Europeæ. Sed agendum fuſiùs hac de re §. ſeq. Nunc Montem Plinianum pando, quem fruſtra jugis Norwegicis tribuunt AA. Sentio enim, quantum animo conjicere licet, Sevonis nomine montes intelligendos eſſe, qui ad littora Maris Balthici ad Livoniam, qui inque Inſulis Pruſſicis *Neriis* reperiuntur: Nimirum montes illi olim referti prædonibus, infame obtinuêre nomen, dicti enim ſunt lingvâ Patriâ, i. e. Gotho-Pruſſicâ, *Sevinnai* vel pro hodiernâ dialecto *Sawinnei.* i. e. *Latrones.* Scilicet montes *Latrocinales* ſive *Prædonii*, poſſeſſorum & Incolarum ſuorum nomen occupârunt. Princeps horum Prædonum *Sevinus*, vel juxta alios, idiomatis Pruſſici ignaros, *Sabino* dictus eſt, multaque Supremo Pruſſiæ Magiſtro Herm. ab Heldrungen & mari & terrâ damna intulit; Indè Monti nomen, ut *Sevo* à Principe Latronum *Sevino*, diceretur. Agunt de his Chronica Pruſſiæ, teſtantibus id Henneberg, in Explicat. Tabul. Pruſſ. & Simone Grunau &c. &c. & aliis. Præter hæc non levia adhuc mihi ſuppetunt ad retorquendum Argumenta: Neque enim Montem Sevo, circa Norwegiam quoque inveniri ſupra diximus. Neque Plinio aliàs probato Auctori, has potiſſimas oras, quæ profundo ſubjectæ ſunt Aquiloni, cognitas eſſe ſæpiùs oſtendimus. Ipſe id de ſe fateri non erubeſcit Plinius, qui de Scandivia agens, licet illam Inſularum clariſſimam ex iis, quas ſinus Codanus recipit, cognominet: *incompertæ magnitudinis* eſſe aſſerit. Idem notatus eſt ab aliis, Montes ibi erigere, ubi nulli ſunt, vel exigui. *Montes Venedici*, aliique quos ille in Pruſſia ſtatuit, in qua tamen vix colles videre eſt altiores, arguunt erroris Plinium. Sed is eſt Veterum error communis, ex vaga eorum relatione profectus, quibus incumbebat ex officio, accepta in Caſtris aure vel oculo referre Romam ad Senatum, (vulgus hodie Referendarios nominat.) quæ relatio non potuit non eſſe dubia ac incerta; in qua multa exaggeravit calamus, affectu Patriæ aut Principis ductus; multa aliter exaravit, errore proprio, vel aliorum abductus. Unde ex ſiniſtra Romani Senatûs informatione tanta in Geographia Veterum perplexitas, ut difficile ſit, dubiam mentem non flectere ad diverſa ſenſa; atque alia veritatis aſſumere argumenta, quæ vel æquè vel magis noſtram convincant rationem.

§. IIX.

Proponitur Auctoris Opinio de Hillevonibus, nec non populis ſequentibus.

SAlvo meliora monentium, & qui certiora proponunt, judicio: arbitror ego, Hillevonum terram eſſe terram *Levonum* vulgò **Liefland** aliis **Eifland**. Quæ quòd Germanis longè ante, quàm terra Pruſſorum innotuerit, Livonica ſatis teſtantur Chronica; idque navigationis beneficio, à multis, potiſſimùm Lubecenſibus ac Bremenſibus inſtitutæ. Conſentit hac in ſententia nobis *Ptolomæus*; qui quos alii vocant Hillevones, vel Helevones, eos ille *Levonos* vel *Levones* appellat.

Concurrit ad propositum ipsa nominis derivatio: Levonis enim *Nautam* denotat, derivato nomine à *Lewas* vel pro hodiernâ Samogeth. & Pruss. dialecto *Loivas*, quô illi *navigium* eloqvuntur. Probabile autem, certoque proximum est, Levones per navigia ad exteras excurrisse oras, atque hâc iis innotuisse ratione. Sed à vicinis Prussis Levones, qui nunc Livones, id est, nautas appellatos esse. Et profectò situs ipse Livoniæ probare dicta videtur: ab occiduâ namque & boreali mundi plaga, Balthico Mari cinguntur Livones.

§. IX.

De Guthis & Firæsis.

GUthæ, me arbitro non sunt *Gutlandi* vel *Gyllandi*, aut *Góthi-Svedici*; sed Gothi illi, de quibus suprà; Gothi scilicet, quorum reliquias Prussia & Samogetia hucusque retinent, sunt Gothi Sarmatæ. De *Firæsis* pari modo sentio; non esse nimirum illos, qui Provinciam Scanicam, Fiering dictam incolunt; sed esse videri illos, qui *Venedæ* dicuntur: Gothicâ enim lingvâ id nominis idem denotat, quod *Viræsis*. Errore autem Librariorum vel dialecto Italorum, aut Germanorum factum censeo, ut pro *Viræsi*, *Firæsi* dictum scriptumve sit. Denotat verò ea vox *Principem*, *Viræsis* enim sive in plur. *Viræsei* dicuntur *Primores* seu *Proceres*; quam appellationem factam fuisse suspicor tunc, cùm frequentiùs Nautæ Livones cum Venedis agerent, per commercia, mutuòque conversati nomina sibi inderent, quæ deinde posteritas vel receptura vel pro placito abolitura esset. Eo quoque sensu dicuntur *Venetæ*, qui Plinio *Benedæ* audiunt, pro more non Græcis tantùm sed & Latinis, usitatissimo, literas commutandi, potissimùm *V* in *B*. Copiosam hac de re materiam ex antiquitate utriusque gentis erutam, proposuit eruditè Lectori R. P. *Gregor. Knapius Soc. Jes.* in suo *Indice trilingvi*, aut potiùs in appendice Indicis. Videatur ad calcem Operis. Ad Plinium redeo, qui & cum eo Romani rectiùs dixissent, pro *Benedis Paneitas*, i. e. *Dominos*; quo nomine adhuc in tota Europæa Sarmatia, in quam se diffundit Lingva Slavonica, appellantur Domini, eorumque filii, & qui supereminentiam populi habent. Quod autem ex ratione hac nomen Venedarum profluxerit, nemo mirabitur, quisquis morem Sarmaticæ gentis noverit, à simili nomen assumentis. De quo suprà.

§. X.

De Daucionibus & Lupionibus.

DAucionum & *Lupionum* nomina è Sarmatico venisse idiomate, illud mihi argumento est, quòd in eodem sensu Polonis consonent vocibus. *Dawiciele*, & *Lupiescii* i. e. *Strangulatores* ac *prædones*. Primum enim derivari videtur à veteri Prussorum voce, *Daucia*, pro quo hodiè Poloni *Dawice*, i. e. *strangulo* dicunt, ut sua eos dialectus edocet. Hinc derivatum Polonis venit, *Dawica*, & *Dychawica*, quod est *strangulatio* vel *suffocatio*. Scilicet eo nomine truculentia populi notabatur,

Derivatio Vocis Daucionis à Daucia.

batur,

batur, à qua & nomen illi populo venit. Neque hoc, puto, mirabitur, qui nostrorum Gotho-Sarmatarum historiam eorumque confinium primis degustavit labris: Eodem *suffocatorum* nomine & *Thraces*, qui apud AA. sæpiùs cum nostris Gothis confunduntur, indigitati fuêre. *Seleucus* prodit apud *Athenæum* [d] Thraces in conviviis solitos fuisse ludere *ludum suffocationis* periculosissimum. Nimirum pendebat è laqueari laqueus quo quem sors tangebat, collum induit, stans in erecto lapide. Alius inopinato advolans lapidem sternit, pendet iste, & nisi falce, quâ manum eum in finem armavit, laqueum citissimè discindat, informi letho, gutture obstrangulato ad plures in *Orciculum*, ut dici solet, ridentibus cæteris convivis abit. *Lupionum* quoque nomen à Sarmato-Gothica voce *Lup* i. e. *præda* derivatum, prædatorium populum, sive inhiantem prædæ denotat. Prædari enim Sarmatis non tantùm fas olim, sed decori gloriæque fuit, quod ex legatione patet Quadorum, qui populus erat Sarmatiæ, excusantium sua coram Romanis latrocinia, non alio potissimùm argumento, quàm quòd prædas agere gloriosum sit, nempe Martis generosi proprium: Quæ res adeo graviter ab Imperatore Valentiniano accepta, testantibus sui ævi ac Imperii Scriptoribus [e] ut vehementiore concitus ira, impetum sangvinis sistere impotens, voce amissâ, sensu integro expiraverit. Simile quid actum sub Constantio Imperatore, coram quo cùm quidam ex Oratoribus Romanis, eandem Quadorum gentem, malè apud Romanos ob latrocinia audientem acriter in consessu publico perstringeret, multaque pro Romanis suis peroraret, intentus causæ Patronus; graviter Quadorum quidam ea oratione offensus, cùm recessisset Imperator paululum, *stercore alterum implevit calceum*, atque illum in os concionatoris projecit redux, ut idem testatur Auctor in Constant. *Lupiones*, quos à *Luba* nonnulli deducunt, (Lub Poloni, Russi, Prussi, Samogethæ dicunt hodiè, quod *corticem* significat) ideo, ni fallor dicti sunt, quasi *Lubiones*, quòd non solum calceamenta ex cortice, sed & vestes contexuerint, iisque usi fuerint: id de Sarmatis pleno ore antiquitas refert, atque nunc videmus in Russiâ, Lietvaniâ, Samogethiâ, Villanos homines, calceamenta hujusmodi, ex arborum præsertim *tiliæ* corticibus contexere in usum, & contexta venum proponere. Et vocantur nonnunquam taliter induti, *Lubiones* quasi *Corticarii*. Alii à *Lubie* derivant, i. e. *pharetrâ*, quod nimirum Sarmatæ, non aliter in bellis quàm pharetrati comparuerint; Idque armorum genus proprium illis fuerit, commune tamen cum Scythis, sive Sarmatis, quos Asia tulit.

Ludus suffocationis apud Thraces.

Lupionis, unde?

Latrocinia Veterum.

An Lupionis Nomen derivandum sit à Luba?

An à Lubie i. e. pharetra?

§. XI.

De Phavonibus, Finnis, Carbonibus.

PHavones, Ptolomæo Φαυῶνες dicti, nomen accepisse videntur ab eo, à quo *VVajones* sive *VVejones* Zalavoni & Samogethæ: ubi eo nomine vocantur illi, qui *ventos conflare*, i. e. excitare inflatu, atque huc illuc inflectere excitatos norunt, quorum non parvus adhuc exstat

Phavones qui?

Sunt Wajones Prussorum.

[d] lib. 4. Dipnosoph. c. 17. [e] Pompon. Læt. & Aurel. Vict. in Valent.

ſtat numerus, qui eam profitentur artem; de quibus ego in Del. Ant. Pruſſ. *Fennos* ſive *Finnos* non alios ego arbitror eſſe, quàm *Vinas*, de quibus infrà. *Carbones* Hermannidi ſunt *Carelii*, ſed Ptolomæo Sarmatiæ populi, *gens multa*. *Carpi* aliis & *Carpiani* dicuntur, quos Cluverius à *Carpato* deducit monte, cujus accolas fuiſſe, ex eo conjicit, quòd ab Hiſtoricis conjungantur Baſtarnis; quos itidem Carpati-colas fuiſſe putat ideo, quòd montes Carpatii, Baſtarnicæ Alpes à Ptolomæo dicantur. Non placet ſenſus Cluverii, adeoque nec deductio nominis à monte Carpato: non enim Karpat vel Karbat, ſed *Krepak* audit in lingvâ Patriâ. Unde ab alio veniſſe argumento, mihi probabile eſt, non tamen integrum dicere, ubi hæc Sarmatarum gens, ſuas propriè habuerit ſedes, cùm de iis Veteres ſileant. Illud dixerim, Vocabulum id verè eſſe Sarmaticum atque *Pecuarium* vel *Bubulcum* denotare; Prout adhuc in Tilſenſibus, Ragnetenſibus, Memelenſibus Inſulis, *Karbhones* ſeu *Karwones* vocantur *pecuarii*, German. die Kuh-Melcker/ ſcil. qui ex pecudibus vivunt.

Fenni & Finni.

Carbones qui?

An Carelii?

An Carpaticolæ?

§. XII.

De Chadinis & Sitonibus.

CHadini, quinam fuerint Sarmatiæ populi, non facilè dixerim; puto hìc errorem lingvæ, aut vitium vocis interveniſſe, ut pro *Gadini*, *Chadini* dicerentur. *Gadinnei* enim, in lingva Samogetica, dicuntur ii, qui *damna inferunt*, & *Prædatores* notantur, voce derivata, à *Gadinnu*, quod eſt *damnum infero, perdo*. Quia ergo illi populi prædæ inhiantes, multa vicinis inferebant damna, dicti ſunt *Gadini*, corrupta dein voce, Chadini. *Sitones* reliqvus Scandinaviæ populus, ultimô à nobis locô recenſitus; hodierni Norwegi videntur eſſe Cluverio, dicti antea Sitones. De quibus memorabile illud narrat Tacitus, quòd *fœminarum paſſi ſint imperia*. Sed cùm plurimæ fuerint Sitonum gentes, de omnibus id non poſſe ſentiendum puto, imò de nulla ſentiendum ita, ut ſæpius vel ſemper tale fœminarum regimen admiſerint. Contigiſſe Sitonibus idem, quod aliis gentibus cenſeo, ut deficiente prole maſculâ, hæreditarium ſceptrum fœmineæ dextræ detulerint. Ita feciſſe noſtros Sarmatas, patet in *Venda* Craci filia, de qua Annales Patrii, ex quibus noviſſimè Joach. Paſtorius in ſuo Floro. Patet idem in Ermia Principe Pruſſorum Domina, de quâ Scriptores Pruſſici, & ego ex iis in Deliciis. Atque hi ſunt Scandiæ populi, Sveones à Geographis habiti, à plerisque in Sveciæ & Norwegiæ Regnis collocati, qui tamen rectè ad noſtros referri poſſunt Sarmatas; nam & hi, Sveones & Svevi dicti ſunt à plerisque. Cluverius quidem Sveones diſtingvit à Svevis, ſed Veteres, inter quos ipſe Tacitus, unam ex iis faciunt gentem. Verùm de hâc re Capite ſeq. ex profeſſo.

Sitones.

Fœminarum paſſi imperia.

Venda Sarmatiæ Princeps.

Ermia Pruſſorum.

§. XIII.

Proponuntur & Refelluntur Argumenta Hug. Grotii de Sveco-Gothis.

Argumenta Hugon. Grotii. HUgo *Grotius*, eximius, ut dictum supra §. 5. Jornandis Patronus, Gotho-Sarmatas, quos nostros dicimus Gothos, quod de iis hoc toto agamus opere; è Svecia aut potiùs è Gothia Sveciæ 1. prodiisse affirmat, his persvasus argumentis. *Primum* est. In Actis publicis Regni Sveciæ; in Legibus, Judiciis, Rationibus, non aliud, 2. quàm Gothorum nomen ubique reperitur. *Secundum* est, Consensus hac in parte Scriptorum Angliæ, Hispaniarum, Slavonicor. Muscovit., 3. ex quibus non alia Gothorum sedes visa est quàm Svecia. *Tertium.* Auctoritas *Ptolomæi*, ejusque sequacis *Marciani Heracleotæ* qui jam tunc Gothos inhabitâsse Sconiam i. e. Scandinaviam, deducit ex suo Magi-4. stro Ptolomæo. *Quartum* tandem est, *Chronicon Slavonicum*, Anonymi cujusdam Auctoris, qui testatur in eo *Martinum* quendam Legatum Romani Pontificis ad Regem Sveciæ Ao. Chr. 1464. abstulisse libros quosdam è Svecia, quos Gothi è Latio accepisse putantur, cùm Ro-Refelluntur. mam olim vicinasque vastarent regiones. Sed ad hæc facilè respondetur, si Gutæ Jornandei à nostris distingvantur Gothis: dicaturque Gutas Sveticos per abusum aut errorem vocis consonæ, dictos esse Gothos, de quibus Acta Regni illius publica &c. &c. &c. Potissimùm quod ab Historicis tum suis tum Exteris, maximè à Jornande ita edocta gens Svecica, Gothorum nomen non tam vendicare alienum, quàm vindicare sibi debitum, propriumque attribuere studuerit. Ex his liquidò patet, neque Ptolomæicos Gutas Sconiæ accolas, neque Jornandeos Scanziæ; neque ullos Sveciæ aut Norwegiæ Gothos, esse nostros, qui Thraciam Daciamque possederunt, orbemque armis pervagati, famâ nominis implêrunt; nempe Gotho Sarmatas. *Consensus Scriptorum* objectus parum juvat: Sicut enim Jornandes ipse à Deuxippo & Ablavio, ita illi ab ipso Jornande edocti, aliis sensa sua tradiderunt, non ideo certa, quod à Veteribus accepta; multis enim obnoxiam vetustatem erroribus agnovit posteritas. Hinc neque Auctoritas Ptolomæi, neque sequacis Marciani proficit: maximè, quod neuter contra nos, cùm uterque de Guthis sive aliis loquatur Gothis. Neque tandem allegatum Anonymi Auctoris Chronicon quippiam efficit: multa ille in eo contra communem AA. sensum, famamque receptam, fidemque hominum refert: Tale est illud in materia nostra; quòd Gothi, qui Italiæ, Galliæ, Hispaniæque oras depopulati armis, Europam subjecerunt, terruerunt Asiam, è Svecia profecti sint; cùm tamen consentiant sibi hac in re Historici, quòd à Tanai Ponto Euxino progressi eò usque sint, quin multò ante à Mari Balthico. Jam quis homini talia è suo sensu loquenti fidem tribuat, quis consensum? Ad hæc, ut omnia Grotii argumenta, unico responso dissolvamus; tempus, quo Reges Sveciæ, Gothorum assumpsêre nomen, tempus inquam stat pro nobis; ad quod si mentem calamumque Grotius reflexisset,

nun-

nunquam sese opposuisset contra. *Loccenius* in Antiquitatibus Sveco-Goth. probat Svecorum Duces & Principes, dictos esse primò *Reges Upsaliæ*, dein *Reges Sveciæ*, post facta conjunctione Svecorum cum Gothis seu Gotlandis, *Reges Gotlandorum*, seu *Gothorum*, factum id esse ait circa XIII. à Christo nato seculum. Seculis demùm sequentibus *Reges Vandalorum*, occupatis scil. quibusdam locis Vendorum ad Mare Balthicum Conringio [f] teste. Ante Seculum XIII. num Reges Sveciæ, Reges Gothorum dicti sint, nemo quod sciam hactenus probavit. Et vix probabitur, ante illud tempus Gothlandos Svecicos, Gothos dictos fuisse. Gothorum tamen illorum Provinciam teste *Snorone Sturlesonio* [g] prout cæteræ Svecorum terræ per Proceres, qui *Diar*, i. e. *Domini* vocabantur, à regibus regio more non administratum fuisse. Conferatur. Ericus Ep. Upsal. [h] & Loccen. c. l. 2. c. 1. qui probat, imperium, quod antiquitus sub Judicibus stetit, ad Reges sub *Ungvino* Rege rediisse. Hinc patet, Reges Sveciæ ab annis modò primùm 400. Gothorum titulum usurpâsse, cùm tamen tot ante Seculis Reges Gothorum præcesserint, famâ nominis ac imperii celebres, proclamante id Historicorum orbe.

§. XIV.

Probatur Argumentis, Sveco-Gothos non fuisse Gotho-Sarmatas.

Gothos quos Svecia refert, quorum nomen gloriabundè præfert, minimè nostris, quos protulit Sarmatia, & quorum nomine æqvius gloriatur, commiscendos esse aut veriùs confundendos Gothis, non pauca nec levia evincunt argumenta. *Primum* est Sveciam primitùs quod modò innui non Reges, sed Primores gubernârunt; de quo Ericus Præsul Upsaliæ, c. l., quos Primores Præfectos fuisse Sveciæ, ab *Odino ex Asia* profecto, dictosque *Diar*, i. e. Dominos. Sturlesonis affirmat. Jam verò de Sveonibus, i. e Gothis (hos enim eo nomine intelligit) contrarium narrat Tacitus, quòd scil. unus apud illos imperitaverit. Ex quibus deduco 1. Svecos non fuisse antiquos Sveones, de quibus Auctor citatus, adeoque nomen hoc falsò sibi arrogare Svecos. 2. Assertum Sturlesonii meram videtur olere fabulam. Enimverò si Asiaticus ille Odinus, nomen illud dederit Primoribus consequens est, eo tempore in Asia viguisse idioma Germanicum, quod etiam in Svecia viget hodie: *Diar* enim vox purè Germanica, denotat *Dominum*, quasi **die Herren**. Quis amabo illud exstirpavit in Asia? quando in has Sveciæ illatum oras? *Secundum*. Communis Scriptorum Sveciæ sensus est. Sveco-Gothos anno primùm Christi DCCC. XIII. suscepisse Religionem Christianam. Ita citatus Loccen. Nostros autem Gothos ad Christianismum conversos fuisse: quarto Seculo testatur Baron. Card. ad Ann. Christi 370. Quanta populorum sub uno nomine differentia? quos si conferre volueris à Gothis Sarmatiæ per tot fluenta, ipsumque æquor Balthicum profluxisse Gothos Sveciæ.

(margin: 1. Argum. / 2. Argum.)

Con-

[f] lib. 1. de finib. Rom. Imper. c. 16. [g] p. 14. [h] lib. 1. Hist. Sveon.

3. Argum. Concludes. *Tertium*, *Paulus Varnefridus* lib. de gestis Longobard. refert, Gothos è Scandia in *Mauringiam*, indeq in *Longobardiam* appulisse. Quanquam hæc relatio exiguam meretur fidem, eò, quòd nulla fuerit, nulla sit Provincia vel Sveciæ vel Prussiæ aut Pomeraniæ &c. Mauringia dicta vel Longobardia. Dato tamen verum referri ab Auctore, id certè non Sveticis sed nostris tribuendum Gothis videtur. 4. Argum. *Quartum*, Sveco-Gothi nullatenùs per Scriptores suos profiteri audent, nec amant agnoscere, *se unquam fuisse Romanæ subjectos potentiæ*, ac devictos Imperio paruisse. Ita mordicùs tuentur famam suæ gentis, præter alios *Conringius* & *Loccenius* citati, quorum hic acutiore perstringit calamo Auctores contra sentientes, scil. *Albertum Stadensem*, *Liebentassium* & *Kekermannum*, qui non verentur fateri, Romanos Imperatores dedisse olim Gothis & Sveonibus Reges. Consulatur & cum prædictis *Bertius*. Certo autem certius est, quod omni exceptione major asserit *Procopius*; Gothis atque Herulis constitutum ab Imperatore Justiniano Regem esse Schwart nomine. Auctoris verba profero [i] *Unde confestim* (inquit ille de Gothicis populis) *mittunt Bizantium*, *Imperatorem precatum*, *Ducem quem vellent sibi ut traderet. Tum ille Herulum quempiam*, *Byzantii diu versatum*, *mox mittit Swartum nomine*, *quem Heruli* (populi erant Gothici) *tum primùm benignè susceptum*, *volentes quidem*, *ut Regem salutant*, *& venerantur*; *jubenti consveta obsequuntur & parent.* Vide de his Wolfg. Lazium. [k] 5. Argum. *Quintum* & Extremum est. Auctores ipsi, qui terras gestaque Septentrionalium populorum descripsêre, non negant, (neque enim veritas celari potest, inter umbras etiam Boreales, sed emicat Arctici instar sideris, tantò amplius, quantò ampliores patitur tenebras,) non inquam negant Gothos è Prussia & Pomerania in Jutiam Jutlandiam & Gotlandiam Sveciæ Provincias appulisse navigiis, introduxisse Coloniam, nomen familiasque suas propagâsse à quibus nomen Gothicum in seram posteritatem cum sangvine dimanavit. Produco evidentem hujus rei testem *Rutgerum Hermannidem* p. m. 54. qui in Descriptione Daniæ de Gothis differens, ampliùs nobis asserit dum inquit: *Memorabile est*, *quod nostri Gothi*, *Pomeraniam & Prussiam olim inhabitantes*, *& à vicinis Teutonibus adjuti*, *nomen suum in Jutiam & Jutlandiam sive Gutlandiam non tantùm*, *sed etiam in Insulas duas Regni Seelandiam & Gotlandiam*, *Gedanoviæ & Gothaniæ nominibus olim notas*; *ut & in Gutas in Scandia Ptolomæi*, *qui aliàs Cothi in Gothlandiâ nominari solent*; *imò per totum Mare Balthicum ab ipsis Godaninum vel Codanium denominatum propagârint.* Attestatur Verelius in Not. cit. & Hartknoch qui & ipse his consentit disp. 2. de Antiq. Pruss. populis. Ex his ego infero, quod apertum est; Gothos Sarmatas priores fuisse & tempore & origine, quàm Gothi Svedici, sive illi Guthæ, sive Gotlandi, aut Jutlandi, sive alio vocentur nomine; adeoque hos ab illis non vice versâ descendisse, & quod sequitur, nomen accepisse.

§. XV.

i Procop. lib. 2. Hist. Goth. k lib. 12. p. 805.

§. XV.

De Juthis in Jutlandia longè diversis à Gotho-Sarmatis.

QUamquam è proximè dictis, diversitas hæc utriusque populi, Gothorum scil. & Juthorum satis pateat, quam & locorum diversitas Jutlandiæ & Sarmatiæ ostendit; dubium tamen non nemini oriri potest, potissimùm perito Historiarum lectori; qui cum Hermannide supra cit. suspicabitur, Gothos (ad Gudam fluvium Arhusensem is Episcopatum interfluit) primas fixisse sedes, ab eôque nomen accepisse; ita ut qui primi Juthi, deinde à *Guda* Guthæ (quæ est mens & vox Jornandis) tandem Gothi voce immutata appellati sint. Inde nomen Provinciæ populique illius, usque huc permanere concludit. Ludere non argumentari videtur, quisquis è Paranomasiâ sivè allusione vocum desumit argumenta. Hermannides, qui aliud suprà dixerat, Gothos enim è Prussiâ & Pomeraniâ nomen suum populumque in Sveciam invexisse, absque iisque Juthos, Juthlandos, Gotlandos &c. dictos esse, asseruerat; viderit ne sibi ipsi contradicat, cùm Historicum oporteat esse memorem. Et, dederit sanè Gudas fluv. Juthis Juthlandis &c. &c. originem nominis, tanquam insignis limes Provincialis terræ; minimè dare poterat originem populi vel sangvinis. Adhæc immutari facile potuit nomen à Gothis acceptum Sarmaticis, sicut tot commutantur nomina unius ejusdemque gentis, cùm ab Auctoribus tùm ab ipsis populis. Tandem quid Gotho-Sarmatis cum Guda fluvio, longè à suis dissito terris. Aderant illis Patria fluenta, à quibus nomen derivarent; aderat insignis Vandalus, fluviorum Rex, à quo olim dicti Vandali creduntur & usque nunc antiquo dicuntur nomine.

CAPUT V.

De Sedibus Gothorum in Sveonia & Svevia, sive de Sveo, & Svevo-Gothis.

INter Scandiæ populos, etiam *Sveones*, & *Svevi* numerantur, qui non tantùm inter se, sed & cum *Svecis*, de quibus suprà, commiscentur. Hinc omnia de iis obscura nobis ab Antiquis veniunt, adeo ut & perspicacissimi ingenium, in hac materia deficere necesse sit. Res patet ex ipsa *nominis variatione*: Qui enim Tacito Sviones, Sveones Eginhardo dicuntur, cui Helmoldus & Adamus Bremensis consentiunt; Latinis olim dicti sunt *Svevi*. Jornandi *Sveons* & *Svetans* & *Svetidi* Danis, Svecis & Normannis *Sverige*, quasi *Svenrige* vocantur. Germanis hodiernis, Svaben/ & Schweden. Nunc vulgari nomine *Sveci*, aliis *Svedi* & *Svethi*. Nobis usitata vox, quæ Latinis fuit Scriptoribus & nunc potioribus est, *Sveonum* & *Svevorum* erit; maximè quòd eos à Svecis distingvamus, distincturi etiam, ipsosmet inter se. *Nomen Sveonum variat.*

§. I.

De Differentia Sveonum & Svevorum à Svecis.

EA nominis variatio, quam proposuimus, miram Lectori confusionem attulit, ut Svevorum & Svecorum unam interdum reputet gentem, qui tamen multùm inter se differunt. Huic confusioni præbuit ansam *Jornandes* maximè, dein sequaces illius, qui nomen *Sveonum* in *Svetans* permutârunt. Inde Svedi vel Sveci. Nonnullos similitudo nominum, in eandem traxit opinionem. Nos nec mutatio Jornandea, nec similitudo fallit nominum, distingvendas esse gentes dicimus, quas diversas esse didicimus: neque enim Svevos, quantum scire licet, ab inquilinis suis denominatos esse Svedos, affirmant Veteres; neque ipsi id profitentur Auctores Svedici. Equidem *Loccenius*, [a] quicquid gloriæ de Sveonibus antiqui referunt, ad suos transferre Svedos allaborat; in derivatione tamen vocis illius non rectè nec meritò laborare videtur, dum nomen Sveonum, à *Sven* deducit; quòd in Svedica lingva, *Martis Tyronem*, sive *Juvenem Militem*, olim denotâsse dicit. Hinc *Svenska* derivata vox eum denotat, qui in ætatis flore militat. Fateri nihilominùs necesse habet Auctor, Svecorum terram semper fuisse dictam Svediam, cultoresque illius Svedos: neque enim alio nomine antiquitùs vocatos fuisse; probant antiquæ Svedorum inscriptiones: leguntur & usque nunc in monumentis Veterum: cernuntur in ruinis, exstant in profano marmore; patent in Sacrarum ædium lapide; ubi semper Svecia, vocatur *Svedioda* Svecique *Svediodi*, nunc contracto nomine Svedia & Svedi. Atque idipsum movit Loccenium, ut graviore stylo carpserit Grotium, derivantem Svedorum nomen à Schwed i. e. sudore; & quod à labore gens operæ dedita nomen acceperit, opinantem, in præfat. ad Prol. Respondent, quibus Sveones & Svedi idem populus videntur esse, hoc modo: sicut Svedia hodiernum gentis nomen ab antiquo Svedioda contractum est, ab eoque incolæ Svedi dicuntur: ita etiam antiqvum gentis nomen *Svea*, ab eodem contractum nomine fuit, à quo Incolæ *Sveones* & *Sviones* dicti sunt. Sed quæ paritatis ratio? quantum differt vox populi ab usu communi recepta, & vox pro ingenio nonnullorum inventa! insolens mutandi pro libitu nomina, aut veriùs fingendi pro ingenii pruritu licentia, si concedatur cuilibet, nihil non erit dubium; Veterum Auctoritas corrupta, Recentiorum suspecta reddetur, ex tot nominum contractionibus, & immutationibus vocum. Videbiturque non Historiis abundare ætas sed figmentis, histriones nacta pro Historicis, imò ex confictis vocibus, nominibus depravatis, novas lingvas, aut certè lingvarum confusionem oriri necesse est. Facessant verò tanta ex orbe absurda. Populorum est, sua locis rebusque indere nomina: Auctorum, ea proponere posteritati, nostrûm, acceptare, neque solùm memoriæ sed & successoribus tradere, nisi aliter illorum placito visum fuerit, acceptanda. Neque hîc Jornandis & Eginhardi, si allegetur auctoritas, nullum habitura est momentum. Nempe vetustum illud Sveo-

Unde Confusio Populorum?

Loccenii Sensus.

Refutatur.

Sensus Jornandis & Eginhardi.

Refellitur.

a In suis Antiquit. Sveco-Goth.

Sveonum nomen uterque arripuit, ac pro libitu, vel quòd malè Tacitum intellexerit, vel ex falsa cujuspiam relatione; tunc enim primum, Sveciæ Regnum Latio innotescere cæpit, ad suos Svecos transtulit. Auctoritas Taciti, pro nobis potiùs stat, qui civitates Sveonum ad littora reponit Oceani. Jam sic Sveones non Sveæ, sed Dani & Norvegi erunt, utpote Septentrionalis Oceani accolæ: cùm tamen AA. citati contra sentiant, velintque Sitones esse Norwegos & Danos, Sveones verò Svecos. Quid? quod Svecorum terra nunquam antiquitùs attigit Oceanum, sed Balthicum æquor, sinumque Bothnicum ac Finnicum: & quamvis Mare Balthicum pars sit è sensu Veterum, aut sinus Oceani; nomen tamen non à terra aut incolis plagæ borealis, Veteribus planè incognitis, sed à parte Meridionalis plagæ & Occidentalis assumpsit; nimirùm à celeberrimo littore, ipsisque qui de eo scripserunt, Auctoribus notiore. Unde & Balthicum Sveonicum Mare appellatum est, sed de his capite seq. suus erit agendi locus.

Sveones &c. Dani, & Norwegi.

§. II.

De Differentia Sveonum à Svevis, Svevorumque Veterum ab hodiernis.

Equidem *Sveones* & *Svevi* una semper gens habita est, Tacitus enim verba de Sveonibus faciens: *hic Sueviæ*, inquit, *finis est.* De Svevis autem agens, *Sviones* iis immiscet: in eo tamen inter se differebant, quòd Sveones ad maris littora, Svevi ad Albim, & Hercyniam Sylvam, Sarmatis Gothisque permisti manserint; illa gens maritima, hæc mediterranea fuerit. Testatur id Auctoritas Veterum; ostendunt ipsa Provinciarum Svevicarum nomina, quæ sunt propriè Originis Gothicæ & Sarmaticæ; referunt ea Auctores iidem, ex quibus nos in seq. §. Major Svevorum veterum differentia à Svevis hodiernis, quos potiùs dixerim *Svabos* è Germanico, Schwaben/ vel Polonico Swab. Terra enim Veterum, quàm populosa, quàm spatiosa fuerit, quibus circumducta limitibus, quot terras ac regiones in se receperit, Auctores cùm alii, tùm quos in sequentibus producemus, satis ostendunt. Quàm verò angusta sit hodierna Svevia, patet oculis. Olim Regnorum Regnum, quo scil. Julio Cæsare teste, totam in se complexa est Germaniam; nunc Regni vix Provincia. Rectè Henricus Glareanus in Comment. ad Jul. Cæsar. sentit illas gentes, ubi illæ olim consederunt ne nomen quidem Svevorum referre, nisi quis fortè illos appellet pro lubitu Svevos. Et communis hæc ferè AA. est sententia, quæ ex infrà dicendis patebit meliùs; sed ut etiam nunc Lectori pateat antiquæ Sveviæ limites breviter proponendos hic censuimus. Ab Occidente Amasis omnes ferè trans & cis Albim regiones terminat. Ab Aquilone Mare Balthicum claudit. Oriens Sarmatas & Russos, Meridies Pannonas habet, silvamque Hercyniam & Saltus sibi vendicat. Quòd autem hi fuerint terrarum Sveviæ termini sequens Paragraph. probabit ex AA. Cæterùm à mediterraneis Svevis, no-

Sedes Sveonum & Svevorum.

noſtros originem Svevos ducere, multùm probabile eſt, cùm & nomine & loco conveniant, ſunt enim & mediterranei populi: non tamen à Sveonibus maritimis, cùm procul à mari Svevico maneant, cujus Sveones fuerunt accolæ; de quibus ait Tacitus, quòd claſſibus valuerint, eorumque Civitates in Oceano ſitæ fuerint, à quo multùm diſtat hodierna Svaborum terra. Addo, Svevos veteres jure dici poſſe Sveo-Sarmatas vel Sveo-Gothos. Aut enim Sarmatiam ipſi occupârunt, aut a Gotho-Sarmatis occupati fuerunt: ſed de Sveo-Sarmatis infrà agetur ſpecialiter Paragraph.

§. III.

De Sedibus Sveonum & Svevorum.

SCriptorum hac de re teſtimonia producemus, ex quibus ea, quæ ſupra diximus, de amplitudine limitum Imperii Svevici firmabuntur. Strabo lib. 7. Geograph. *In hoc tractu*, inquit, *Sita eſt Hercinia & Svevorum natio; ex quibus non multi intra, aliqui extra ſilvam habitant. Sunt & Cordulorum pleriq́, in quibus & Bojohemum Marobodui Regia; quem in locum, cùm alios plures traduceret incolas, ſuos conterraneos quoq́ Marcomannos adegit. &c. Hic ab Auguſto magnum adeptus potentatum, præter alios populos, Lujos ſibi vendicavit, gentem ſanè permagnam, &* Zumos *&* Butones *&* Mugillones *&* Sibinos *&* Svevorum *nationem ampliſſimam* Semnones. &c. Tacitus ubi de Marcomannis, agit: [b] *Nec minùs*, ait, *valent retrò Marſingi, Gothini, Oſii, Burii, terga Marcomannorum Quadorumq́ claudunt. E quibus Marſingi & Burii ſermone cultuq́ Svevos referunt. Dirimit enim ſcinditq́ Sveviam continuum montium* (Hercynia) *jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt:* Idem [c] ſcribens de Catvalda, qui Maroboduum regno pepulerat: *Is*, inquit, *Valida manu Marcomannorum fines ingreditur, corruptisq́ primoribus ad ſocietatem irrumpit regiam, caſtellumq́ juxta ſitum. Veteres illic* Svevorum *prædæ, & noſtris è Provinciis lixæ.* Idem ibidem: *Igitur non modò Cheruſci, ſociiq́ eorum, vetus Arminii miles, ſumpsêre bellum: ſed è regno etiam Marobodui* Sveviæ gentes Semnones & Longobardi, *defecêre ad eum.* Vellejus Paterculus ſimiliter Svevos ad Albim reponit: *Deniq́*, ait, *quod nunquam antea ſpe conceptum, nedum opere tentatum erat* ad quadringenteſimum milliarium à Rheno ad Albim usque amnem (qui hodie per Bohemiam in Miſniam influit) *qui* Sennorum (Svevorum) *Hermundurorumq́ fines præterfluit, Romanis cum ſignis perductus eſt exercitus.* Ptolomæus de German. [d] *Interiores*, ait, *autem & mediterraneæ gentes, maximè ſunt Svevi, Angli, & qui magis orientales ſunt quàm Longobardi protenſi ad Septentrionem usq́ ad medium* Albis *fluvii.* ----- *Svevos Semnones, qui habitant poſt Albim, à præfata parte verſus ortum, usq́ ad* Svevum *fluvium.* Procopius [e] refert, Svevos ſub Juſtiniani tempora in locis Regno Bohemiæ addictis ad Albim conſediſſe. *Poſt hos*, (inquit Auctor) *in Orientem ſolem* Toringi *barbari* ſunt, qui Cæſaris Auguſti permiſſu ſedes has tenuêre: & ab his Burgun-

b lib. de Morib. Germ. c lib. 2. Aug. Hiſt. d lib. 2. c. 11. e lib. 1. Hiſt. Goth.

gundiones ad procul ad Nothum Ventum vergentes, inhabitant Svevi, deinceps & Alemanni, gens valida; & jam diu hic incolunt loca. Jornandes locum Svevorum ad confinia Bojarorum & Burgundionum assignat, cum inquit: Theodomirus Gothorum Rex emenso Danubio, Svevis improvisus à tergo apparens: nam regio illa Svevorum ab Oriente Bojaros habet, à meridie Burgundiones. Hæc tot tantorumque Virorum testimonia evincunt. 1. Svevos mediterraneos fuisse populos, quamvis illorum potentia ad usque mare se extenderit. 2. Tractum Terræ circa Hercyniam Silv. & Albim Svevos obtinuisse; ideoque mediterranei populi retinuisse nomen; maritimi verò populi nomen Sveonibus & Venedis reliquisse. 3. Svevos cum Marcomannis ac Bojohemis è regno Marobodui, eandem fuisse gentem. 4. Plurimas fuisse Svevorum gentes, nec procul à Danubio circa Pannoniam sedes habuisse. 5. Regnum Marcomannicum sive Bohemicum dictum fuisse Svevicum. Cùm autem Hercyniani accolæ nec non Bohemi, ad Sarmatas Gothosque antiquitùs spectaverint, prout id nativa illorum lingva satis comprobat; utique & Svevos qui pars Bohemiæ seu Bohemicæ gentis fuerunt, ad illos referri necesse est.

§. IV.

De Variis Svevorum populis.

Multi iique varii Svevorum fuerunt populi, in quibus tamen recensendis Veteres non conveniunt. Ptolomæus quadruplices facit Svevos, (1.) *Longobardos*, quos ad Rhenum collocat. (2.) *Anglos*, ad Albim. (3.) *Semnones*, quos ab Albi ad Svevum usque fluvium, Orientem versus deducit. (4.) *Buguntos* (Burgundos fortè) quos ad Vistulam usque protendit. Hanc populorum Sveviæ differentiam aliter nobis proponit versatissimus in Historia antiqua *Wolfg. Lazius*; licet quadruplicem quoque agnoscat in Svevia populum. (1.) *Longobardos* collocat secus Rhenum, (2.) *Marcomannos* ab Albi ad Danubium & Vistulam Amnes, & ultra usque in Daciam extendit, & in Pannonia Ditiones tenuisse dicit. (3.) *Semnones* Svevorum nobilissimos ad Hercyniæ juga statuit, ubi Regnum Bohemiæ, & ad Wirtebergensem tractum. (4.) *Populos ad sinum Adriaticum* juxta Japodes in Liburnia ponit, quorum terram Polybius, Procopius, & Jornandes exponunt regionem illam, quæ nunc dicitur, **Windische Marck** Austriæ domui subjectam. *Julius Cæsar* Svevorum nomine universam intelligit Germaniam; quare *Gentem Svevorum longè maximam* vocat; quæ enim de Germanis alibi refert, ea etiam Svevis attribuit, & quicquid de Svevia dicit, de Germania intelligit. Unde Svevia Cæsari est ipsa Germania, neque terra, quæ hodie Svevis assignatur, dici potest terra Svevorum Veterum: quod supra §. 2. ostendimus, sequi comprobavimus. *Dio Cassius* de Druso ad Germanorum terras eunte sic loquitur: Ad Sveviam usque progressus est. Ipse *Tacitus* majorem Germaniæ Svevis addicit, imò Germanos ferè Svevos vocat. Verba Auctoris sunt: Nunc de Svevis dicendum; quorum non una, ut Cat-

torum Tenctorumque gens; majorem enim *Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusq; discreti; quanquam in communi* Svevi *vocentur.* Tacito consentit Æthicus, *Germania*, inquit, *ubi plurimam partem Suevi tenent, quorum omnes gentes sunt LIV.* Indè non miror, quòd *Arrianus* generali nomine *Germanos*, *Suevos* appellet. Et Poetæ sub Valentiniano & Gratiano Augustis, eodem nomine *Alemannos.* Ita *Ausonius* in Epigr. ad Valent. & *Claudianus* in Antiq. Quas verò gentes Tacitus adscripsit Sveviæ, eas hic recensemus ex eodem. [f] Sunt autem præter nobilissimos Svevorum & Germanorum *Semnones*; *Longobardi*, *Deuringi*, (Reudingos vult esse Cluverius) *Cautones*, *Angli*, *Varini*, *Eudoses*, *Svardones*, *Nuithones*; Circa verò Danubium, *Hermunduri*, juxta quos *Narisci*, *Marcomanni*, *Quadi*, retro *Marsingi*, *Gothini*, *Osii*, *Burii*, *Lygii* .Inter quos celebriores, Arii, *Helveones*, *Manimi*, *Elisii*, *Naharvalli.* Ultra hos *Gothones*, protinus *Rugii*, *Lemovii*, *Sviones & Sitones.* Hìc scil. in *Germania Secretiori* Sveviæ terminos ponit Tacitus. A *dextro* autem *Suevici* maris littore, reponit *Æstios*, *Peucinos*, *Fennos & Venedos.* Sic à Tacito informatus Cluverius sequentes Svevis assignat terras; nimirum, *Sveviæ hodiernam partem*, quâ oppida continet *Dinckelspul & Nordlingen. Palatinatum superiorem*, *Voitlandiam*, *Misniam*, *Saxoniam superiorem*, *Bojohæmum*, *Austriæ partem transdanubianam*, *Hungariæ partem ad montes Sarmaticos*, *Moraviam*, *Silesiam*, *Lusatiam*, *Poloniam*, *Cisvistulanam*, *Marchionatum Brandeburgicum*, exceptâ eâ parte, quæ cis Albim, *Pomerelliam*, *Cassubiam*, *Pomeraniam*, *Mecleburgensem Ducatum*, trans mare autem Svevicum Daniæ partes, quibus nomina *Bleking*, *Scania*, *& Halland.* Inde *Svediam*, *Norwegiam*, *Bodniam*, *Occidentalem*, *Finnomarchiam*, *Scritofinniam*, *Lappiam & Biarmiam.*

§. V.

De Semnonibus, Principe Suevorum populo.

SEmnones *vetustissimos ac nobilissimos Suevorum* appellat Tacitus c. l. Eorum nomen cùm ferè inter Germanos periêrit, Antiquitas nobis consulenda est, de finibus sedibusque illorum, & ab illius standum sententia. Communis autem Antiquorum sensus est, quod ad *medium Albis* ad utramque fluminis ripam, *sita* sit Semnonum terra; cui Albim ab *Occidente* opponit Cluverius à Bohemo ad usque confluentem; eo loci *Hermunduros*, *Cattos & Cheruscos* reponit Semnonum finitimos: ab *Oriente Suevum* Amnem, quem *Oderam* putat esse: à *Meridie* juga Montium *Bohemica* assignat: à *Septentrione Longobardos*, *Nuithones*, *Svardones*, qui mare Svecicum attigerunt, statuit pro terminis. De *Nominis derivatione* non eadem AA. mens est. Certum est, non esse vocem Latinam neque Germanicam, sed Teutonicam, unde probabile est, Semnones non fuisse usos idiomate Teutonico, seu hodierno Germanico; aliàs nomen sibi è nativâ adscivissent lingvâ: adeoque nec origine nec natione Germanos seu Teutones fuisse: Lingvæ

Unde Nomen Semnonum?

Semnonum lingva.

[f] libr. de Morib. German.

gvæ siquidem unitas, unitatem nationum, atque eandem populorum originem designat, esto dein successu temporum lingva variet dialectis. Quare ab alio idiomate nomen Semnonum derivandum est. Neque tamen iis consentire possum, qui nomen hoc à *Sembis* Prussiæ populis deductum putant, aut veriùs ipsi deducunt pro ingenio. Leve nimis fundamentum sententiæ, vocum allusio: neque argumentum id est veritatis, sed mentis acutæ lusus. Quid? si imperfecta sit paranomasia, qualis hic, Semnonum & Semborum; aut Sembiæ & Semnoniæ. Sunt qui nomen hoc è græca voce, *Semnis* provenisse autumant. *Semnes* erant *Deæ Erinnyes*, quarum meminit *Thucidides* lib. I. Earum sacra celebrabant *Hesichidæ* Athenis, ab *Hesycho* Heroe progeniti: cui *Arietem* iidem, tanquam meritissimo Parenti ante aras & sacra immolabant.[g] Alii ab alia voce similiter Græca derivatum sentiunt, scil. à *Semneum*, quod & *Secretum & dignum veneratione* significat; dicuntur etiam inaccessa loca *Semnia*. Quamvis non negem, Semnones, uti Svevorum antiquissimos ac nobilissimos, cùm à suis subditis tùm ab exteris magnâ fuisse in veneratione, quodque etiam inaccessa incoluerint loca, in quibus non facile ab hoste superari poterant. Non tamen placet omnino illorum sensus, quibus Semnonum nomen è Græcia vel Græca voce acceptum videtur. Quid enim Græciæ & Sveviæ? inter se tam dissitis convenit? & si in locorum affinitate conveniret: revoco argumentum, quod suprà de Germania proposui, atque illud repeto: Unaquæque gens nomen sibi è Patria desumit lingva; Semnonum autem, sicut tellus Patria, ita & lingva longè à Græcis differebat, quod omnibus palam est. Mihi videtur è lingva Gothica petendam esse vim nominis: probabile enim est: siquidem Svevos antiqui ad Gothos retulerunt, atque inter populos gentis Gothicæ recensuerunt; quòd Semnones ceu principalis Sevorum populus, non aliâ nativâ lingvâ, quàm Gotho-Sarmatica usi fuerint. Facile autem id nominis deduci potest à voce Sarmato-Gothica: *Zeme* i.e. terra: cui ut Semnones quasi Zemnones dicti sint. Poloni in eodem sensu dicunt hodie pro suâ dialecto: Ziemiani, i.e. terricolæ, propriè, ditionum suarum incolæ. Puto ego Semnones sic appellatos esse, ad differentiam Sveonum, ad mare degentium, quod deinde Svevicum dictum est. Ex loco igitur volebant in nomine denotari, qui essent; quod scil. terrarum essent, non maris incolæ ac Domini, quod in continenti degerent, unde mediterranei Svevi, aut Sveviæ populi à Romanis dicebantur, quòd non ex piscatu viverent ut Sveones, vel navigationibus se occuparent, sed agros excolerent, & ex iis se ac suos alerent: quod hominum genus olim æstimatum est, sicut prius illud vile habitum. Atque inde opinor nobilissimos esse ab antiquitate dictos, quod certa terrarum spatia ad in-& excolendum habuerint, in iisque certos colonos ad Oeconomica obsequia. *Toparchæ* à Græcis hujusmodi terrarum Domini dicebantur. In nostro Regno Poloniæ possessores talium bonorum Nobiles dicuntur, in Patria lingva, *Ziemiané*. Sicut & illa bona dicuntur *Terrestria*, Ziemzie. Neque enim fas est, ulli præter-

Num à Sembis Prussis?

Derivatur à Zeme.

Bona Terrestria Polonorum.

g Cœl. Rhodig. lib. 7. c. 23.

quàm

quàm nobili, hæreditario jure ea bona possidere: sicut nulli olim dici & esse nobilem, nisi qui esset Eques regni, Reipublicæ miles: Hinc nobilitas equestris ordo dicitur. Imò quia Ecclesiasticus status jure gaudet & privilegiis nobilium; ideo & personis Ecclesiasticis fas est, eodem jure bona nobilium possidere. Sed de his Acta & Statuta Regni; nobis sufficit nobilitatem Semnonum, quam illis Veterum Auctoritas tribuit, à pari declarare. Et certè par ratio Semnonum & Polonorum. *Conferuntur cum Polonis.* Utraque gens nobilissima, vetustissima, nominis Gotho-Sarmatici, lingvæ Slavonicæ; mediterranea terræ frugiferæ cultrix, confinis & affinis sibi, utrique Sveones sunt maritimi, Polonis scil. Prussi & Pomerani. De quibus infrà.

§. VI.

De Centum Svevorum pagis.

MEmorabile illud de Svevis celeberrimi Romanorum Scriptores Julius Cæsar, & Tacitus [b] prodiderunt, quod *C. pagos habuerint, quorum quilibet XX. Millia hominum continebat, ex quibus*, inquit Cæsar, [i] *annis singulis singula millia armatorum bellandi causa in fines hostium eduxerunt.* Præpotens sanè natio, quæ quot annis C. millibus contra hostes agere valuit. Advertat hìc velim Lector, cum de pagis C. dicimus, vocem hanc *pagus* non significare vicum, sed *totam ditionem, sive territorium aliquod.* *Pagus nomen quid?* Memini me incidenter legisse in Antiq. Pruss. Rosenzweigii, quòd quælibet Provincia Prussiæ certos suos habuerit conventuum locos, quos *Paeigas* dicebant. Similes ego puto habuisse Svevos conventuum locos, quos *pagos* Romani dixêre, hodie Præfecturas & territoria nuncupant. Atque hoc sensu primis Romanorum seculis vocem hanc *pagus* usurpatam esse, docent nos Veteres. Legimus apud *Plutarchum*, [k] quod Numa agros in certas partes distribuerit, illasque *pagos* vocaverit. *Cæsar.* [l] quoque refert, quod *Pagorum Principes jus suis dixerint.* Pagorum, inquit non vicorum: non enim in vico quolibet, sed in territoriis certis jus dici poterat. Idem [m] scribit de *Helvetiis*, quòd regionem totam in *quatuor divisam pagos* habuerint. Et *Ammian. Marcell.* [n] narrat de *Pago Vadomarii*, quòd sit *Regio satis ampla.* Hoc sensu & ab Germanis olim acceptum est pagi nomen, patriâque lingvâ, ut vult Cluverius [o] expressum, *gew, gaw* quod à **gewen** i. e. dare, contribuere, (dixerim ego à Gotho Prussico *gawe*, i. e. recipere, nimirum recipiebantur tributa) deductum, locum denotat, in quo tributa redduntur, colliguntur, in destinatis scil. præfecturis: de quibus ita Tacitus c. l. *Centeni*, inquit, *ex singulis pagis sunt, id ipsum inter se vocantur, & quod primò numerus fuit, jam nomen & honor est:* Centumviri posteà dicti sunt; quos Centumvirali etiam cum munere in Germaniæ Provinciis reperiri adhuc colligo ex eo, quòd à Germanis vocentur **Cent-Gericht / Cent-Grafen** / i. e. Comites vel Præfecti Centenorum. Simile quid reperiri in Urbibus Regni

b Tac. de Germ. Mor. i lib. 4. Comm. Gall. k in Numa. l Comm. VI. m Comm I. n lib. XXI. o lib. I. Antiq. Germ. c. 13. p. 99.

Regni primariis videmus, in quibus centumviri è plebe selecti, centenarium complent numerum; Polonis *Lawnicy* dicuntur ideo, quòd in curialibus consultationibus sua vota & sententias è scamnis referant. Ex dictis confirmo sensum meum suprà §. 2. propositum de Svevis nostris. Quis enim hodie C. Pagos illis tribuat eo sensu i. e. Præfecturas C. neque enim mihi persvadeo, C. illos pagos his locorum spatiis, quibus nunc Svevia clauditur, ita arctatos fuisse, ut in iis tantùm constiterint. Sentio deinde pleraque Svevorum territoria, Sarmatiæ nostræ terras propiùs attigisse, præsertim oceanum versus & Mare Balthicum. Sentio denique, Sarmatiæ Gothicæ potentiam ampliorem fuisse, quàm centum-pagulis Sveviæ; quæ etiam in Provincialem Gothici Imperii partem veniebat; neque enim tam angusto C. pagorum limite Sarmatia nostra premebatur, quæ ab Euxino ad Balthicum, à Dacia in Theutoniam usque sese extenderat.

§. VII.

De Svevo Insigni Svevorum flumine.

SVevus, qui vel populo dedisse, vel à populo accepisse nomen videtur, celeberrimus erat Svevorum fluvius, ac ferè princeps; ad quem sedes suas habuisse Svevos testatur Ptolomæus his verbis: *Gens Svevorum, quæ trans Albim incolit, à dictâ amnis parte in Orientem versus, usq; ad Svevum flumen:* deinde gens Burgundiorum, qui cætera tenet ad Vistulam usque, situs fluminis ab eodem Auctore describitur, quòd sit *inter Chalusum & Albim fluvios*, cujus *fons ad medium Albis conveniat, ostium verò in Mare Svevicum exeat.* Verùm non convenit de illo inter Geographos: Wolfg. Lazius putat esse fluvium *Spree*; sed alius hic videtur esse ab illo Ptolomæi: hic enim in Albim decurrit non procul ad Havelberg ad fortalitium *VVerben.* Ille in Svevicum mare ingreditur. Non levis est conjectura Cluverii, quòd amnis ille sit *Viadrus*, Oder Germanis dictus. Tum quia ostium Viadri inter duas Insulas Usedom & Wollin decurrens, vulgari vocabulo dicitur *Swine*, & variante dialecto, *Swene.* Aut certè, sicut Sviones ex una eademque cum Svevis origine, nomen Svevorum acceperunt; ita & hic fluvius, à Svionibus Svine, à Svevis *Sveve* dici potuit, qui deinde à Latinis *Svevus* dictus est. Tum quia Semnones Svevorum nobilissimi, qui trans Albim ad flumen hoc degebant, poterant id nominis dedisse amni. Addo, librariorum errore fieri potuisse, ut pro *Svene Sveve* positum sit: Neque alius reperitur amnis, in iis locis, qui hujus nominis fuerit. Meminit quidem Viadri Ptolomæus, inter quem & Albim medium Svevum collocat: sed cùm ille circa prædictas Insulas nomen suum Viadri amittat, facilè convincitur erroris Ptolomæus, qui ex aliorum relatione amnem illum Viadrum esse putavit: ipsemet enim spectator esse locorum non potuit.

Svevus fluvius an fluvius Spree?

An Odera?

De *Mari Svevico* sive *Svesnico* agendum hìc foret, sed consultò ad sequens caput materiam hanc rejicimus, quòd cum aliis connexa sit, diversis ab hac materiis. Mare enim Svevicum, cùm sit idem

cum *Balthico*, ac *Venedico*, inquirendæ sunt differentiæ nominum & origines; Insulæ proponendæ; sinus Oceani septentrionalis tangendi, eorumque populi &c. Videbitur res suo loco.

§. IIX.

De Bellicis Svevorum Expeditionibus.

1. Expeditio ad Rhenum.

MArtem Svevicum, sive bellicas expeditiones narraturi, à vicino Martiæ gentis Rheno incipimus. Celeberrima est Insula, quam Julius Cæs. lib. Comm. IV. describit ævo suo factam, in qua *Ubios* vectigales sibi fecerunt, *Usipetes* & *Trenchteros* suis agris expulerunt, *Shenapios* trans Rhenum fugârunt. Ibi cùm Rhenum transire non possent in Patriam reduces, ex improviso rebelles *Ubii* adorti, non exigua clade, quam inferre solent arma insidiosa, affecerunt. Hujus expeditionis meminit *Tacitus* [p] Auspicii *Arminii* Ducis factæ, ad quem Svevi, repudiato *Maroboduo*, defecerunt. Lazius [q] scribit, hac expeditione *Quintil. Varum* Romanorum Ducem, cum toto exercitu fusum fuisse.

2. In Galliam.

Sub *Ariovisto* Duce, Svevorum arma penetrârunt in *Gallias*; ubi non contemnendas occupârunt Provincias; quas cùm Julius Cæsar Proconf. repetere, alias reparare vellet, viri victores omnino negârunt, & legatis Cæsarianis ita Ducis sui nomine responderunt, ipso attestante Cæsare: *Si quid ipsi a Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille à se vellet, illum ad se venire oportere: Præterea, se neq; sine exercitu in eas partes Galliæ venire audere, quas Cæsar posfideret, neq; exercitum, sine magno commeatu atq; emolumento in unum locum contrahere posse: sibi autem mirum videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Cæsari, aut omnino populo Romano negotii esset.* Hæc Dux & Scriptor Romanus. Actor & Auctor. Progressu temporis, bellicosa Svevorum gens, viris & viribus aucta, firmiùs aggressa est Gallias, & per continuatas sorte belli victorias progressa ad Imperium; quod ex Provinciis Galliarum erexit, atque in iis fundavit cum Imperio nomen, stabilivitque potentiam. Nam prope CCCCCC. annos regimen Galliarum tenuit; scil. à Julii Cæsar. temporibus ad annum Christi DXXX. qui annus serenior affulsit *Francis*; ipsis enim rerum in Galliis potitis, sors bellica, Svevos declinare cæpit. Vario enim utrinque pugnatum est Marte, sorte semper dubia: neque Svevi ad Imperium sortemque primam assurgere poterant, donec tandem à *Clodovæo* Francorum Duce, Regno penitùs expulsi sunt. Post insignem illam de Alemannis, (ita Svevos vocabant Galli) victoriam reportatam, non tamen ideo generosa Svevorum mens à bellando destitit. Martius nempe animus, quàm diu sangvinis gutta venis influit, arma vindicia appetit, anhelat in victorias præliorum, spe sortis erectus. Ducibus *Quietaro* & *Bultino*, Gothicis associati armis, invaserunt Galliam vi requirentes amissa: donec tandem Gothis arma submoventibus, ac de hostico in Patrium solum concedentibus, Svevi armis potiùs quàm animis fracti, *Theodo-*

Deficit Imperium Svevorum in Gallia.

[p] lib. 2. Hist. Aug. [q] lib. 8.

Theodovaldo Francorum Regi ſeſe armaque ſubjecerunt. Fusè de hoc Svevo-Gothico bello tractat Lazius lib. 8. Huc Panegyricus Stiliconis Vates, *Claudianus* alludere videtur.

Ante pedes humili Franco, triſtique Suevo
Perfruor, & noſtrum video Germanice Rhenum.

Excurrerunt Arma Svevica, aſſociata Gothicis, in *Gallitiam* quoque ac *Luſitaniam*, quas terras dicit Jornandes à dextro latere Hiſpaniæ per ripam Oceani porrigi habentes ab Oriente Auſtrogoniam; ab Occidente in Promontorio, ſacrum Scipionis, Romani Ducis monumentum; à Septentrione Oceanum; à meridie Tagum fluvium. Excurrerunt inquam; & fortunato excurſu, utrasque occupârunt terras: eo tamen à Gothis diſcrimine, quod hi *ſupremo dominio*, Svevi autem *Vaſallorum* inſtar, eas obtinuerint; cùmque ſe Gothis oppoſuerint, ab iis tanquam directis dominis ſemper in ordinem redacti fuerint. Præter alios, qui hac de re agunt Scriptores conferri poteſt Michael Ritius de Reg. Goth. Hiſpaniæ lib. I. Memorabile illud eſt, de quo citatus Jornandes; factum ſub *Emmerico*, *Recila*, ac *Retiario* Ducibus Svevorum coronatis, ante adventum *Attilæ* & *Hunnorum* in Hiſpanias. Auctoris verba proponere impertinens duxi, quòd longior ſit; ſtylo contracto rem omnem propono. *Retiarius* Svevorum Rex affinitate Theodorici Viſi-Gothorum Regis præſumens, univerſam poenè Hiſpaniam ſibi credidit occupandam. Quare è Galliciæ & Luſitaniæ partibus ad fines Regni properantem Theodoricus cognatus per Legatos avertere ſatagit, pacis priùs media, quàm arma attentans, ſed fruſtrà prætumido animo, cùm pacem proponeret, armis arma opponit, atque cruentam de profuſo Svevorum ſangvine refert victoriam, ad Urbium flumen. Retiarius amiſſo exercitu, ut hoſtilem manum effugiat, navem conſcendit, ſed adverſa Cyreni oſtii repulſus procella, in manus Viſi-Gothorum incidens, mortem diſtulit, non effugit. Non ultra victoriam bellatum eſt; non in ſubactos ſævitum rebelles, pacati, clementisque Ducis ac Regis imperio. Pro Retiario *Athiulphus* Cliens Regius ſubſtitutus Svevisque præpoſitus eſt. Longè ille à Gothici ſangvinis nobilitate ſejunctus, ſcilicet è *Varnorum* ſtirpe progenitus: longiùs à grata mente, ſortis ſuæ honore abfuit: etenim à Svevis incitatus, & à Tyrannico commotus faſtu, nec Patrono fidem, nec genti Svevicæ ſervavit libertatem. Theodoricus quippe per Duces armorum, primò illum in certamine ſuperat, captumque atque ſuorum auxiliis deſtitutum capite plecti mandat. Ita ſenſit iratum, quem propitium credidit contemnendum. Svevi Ducis ſui interitu conſternati, locorum ſacerdotes ad Theodoricum Regem ſupplices dirigunt, quos ille pontificali acceptos reverentiâ, non ſolùm impunitatem Svevis indulget, ſed ut ſibi de ſuo genere, Principem conſtituant, flexus pietate concedit. Ex his deduco facilè, Svevorum Gothorumque gentem eandem fuiſſe origine & lingvâ, diverſam licet terris ac Imperiis: quamquam & Imperiis omnino non diverſam, cùm Reges Gothici conſtituerent Svevorum Duces, ſuosque Vaſallos facerent. Hinc ulteriùs infero, non poſſe non perti-

Retiarius inſurgit contra Gothos.

Et Athiulphus.

Svevi & Gothi una gens & Sarmatæ.

pertinere Svevos ad Sarmatas, qui cum Gothis iidem fuerunt; si ad Gothos pertinuerunt, quod suprà Jornandes ostendit.

Expeditio Svev. in Rhætias.

Ultrà, arma & animum moverunt Svevi & occidentem versus scil. ad *Rhætias*. Nimirum, fortunam semper experiri licet, adversanti quàm primùm cedere expedit; sæpe illa loca uni & tempori iniqua, æquior alteri. Et profectò secundior erat Svevorum excursus, in Rhætias, quo non solùm ipsas Rhætiorum terras occupârunt; sed Romanum quoque exercitum, non longè ab Alpibus tractu, in patentibus campis deleverunt, ad fines Noricorum hæc clades grave Reip. inflixit vulnus, Meminit bellici hujus excursûs sub *Germanorum* nomine Tacit. lib. 19. Lazius suprà cit. lib. 8. Sed innutrita mens Gradivo, vivit præliis, alitur victoriis, triumphis recreatur. Progressi in oras ulteriores Svevi, *Alsatiam*, *Suntgoviam*, *Brisgoviam*, *Svabiam*, (hæc est ipsa Provincia Schwaben à Germanis, à Latinis *Svevia* dicta,) cum *Marchionatibus*, Burgaw, Hochberg, &c. *Vogtiis*, Alpgaw, Hegaw, Targaw, Ergaw, magnam partem *Helvetiæ* & *VVirtenberg* Ducatûs, suo subjugârunt imperio. Ita *Lazius*. Prædictas jam olim Svevi tentârunt oras, scil. primorum tempore Imperatorum, atque imprimis *Julii Cæs. Augusti*, *Tiberii*, *Vitellii*, *Aureliani*, *Juliani*, *Gratiani*, *Honorii* denique & *Arcadii*: sed alternis vicibus armata sors lusisse visa est; semper tamen res suas erectis promovebant animis: & quamvis se Romano subjecerint Imperio, tot tamen Privilegiis ac immunitatibus, aucti ornatique sunt, ut Svevorum nomen, toto Orbe Romano honoratissimum semper fuerit. Neque illa non celebris Svevorum Expeditio in *Liburnia*, & ad *Adriæ Sinum*. Celebratur sanè ab antiquis, atque imprimis à *Polybio*, qui *Pyrrhi* ingressum, in Italiam describens, ita inquit: *Quanto scelere indignati Romani, novo delectu habito, penetrare in Galliam adgrediuntur. Sed parum processum erat, cùm eis* Semnones *occurrerent*. *Strabo* ejusdem expeditionis meminisse videtur, *Cenomannorum* sub nomine, Svevos intelligens, quibus ab *Uffente* fluvio usque ad Athesim designat locum. *Paulus Diaconus*, res Longobardorum enarrans, Svevos nominat *Cenninenses*, quibus *Senas* ad Sinum Adriaticum (hodie *Zeng* sub Austriacorum imperio) dedisse inquit originem. Notandum ex dictis infero; qui *Polybio* sunt *Semnones*, eos Straboni esse *Cenomannos*, *Paulo*: *Cenninenses*. Convenit cum illis *Procopius*, qui etiam Svevorum meminit, eosque cum *Sichis*, *Carnis*, *Murcisq;* conjungit, à *Francis* tamen propriè distingvit, cum ait: *Supra hos Sichi sunt & Svevi, haud tamen sub Francorum ditione.* Jornandes quoque bellorum meminit, quæ sub *Hunimundo* Rege Svevorum contra *Theodomirum* Gothorum Regem gesserunt; Verba Auctoris refero: *Quiescente tandem Hunnorum gente à Gothis*, Hunimundus *Svevorum Dux, dum ad prædandas Dalmatias transit, armenta Gothorum, in campis errantia deprædavit, quia Dalmatiis Svevia vicina erat, nec à Pannoniis multùm distabat, præsertim ubi tunc Gothi residebant.* Quid plura? *Hunimundo cum Svevis, vastatis Dalmatiis ad sua revertente*, Theodomyr *Germanus frater* Valamiris *Regis Gothorum, non tan-*

Progressus Svevorum in Alsatia, viciniisq; Provinciis.

Svevi Romanis subjecti.

Expeditio Svevorum in Liburnia.

Et Adriæ Sinum.

Semnones, Cenomanni, & Cenninenses.

Senæ. Zeng.

Hunimundus Rex Svevorum.

tantùm jacturam armentorum dolens, quantùm metuens, ne Svevi, si impunè hoc lucrarentur, ad majorem licentiam prosilirent. Sic vigilavit in eorum transitu, ut intempestâ nocte dormientes invaderet ad lacum Pelsodis: *consertoq; inopinato prælio, ita eos oppressit, ut etiam ipso Rege Hunimundo capto, omnem exercitum ejus, qui gladium evasissent, Gothorum subderet servituti.* Sic simul tota *Illyricus*, quæ octodecim constabat Provinciis, in unum adaptata corpus simul cum Svevis ad Gothos transiit, Svevique Gothorum Nomen & Imperium susceperunt. [r] **Illyricus octodecim Provinciarum.** **Svevi in Gothos abiêrunt.**

Expeditio Svevorum contra *Saxones*, memorabilis quoque est; quam verbis ut plurimùm *Varnefridi* [s] in breve contractis referimus: „ Longobardis Italiam invadentibus Saxones simul unà cum liberis & „ uxoribus Italiam ingressi sunt. Interea temporis Svevi vacuas Saxo- „ num terras occupant. Saxones autem cùm in Italiâ à Longobar- „ dis, proprio subsistere jure obtinere non possent, repedare domum „ deliberant. Dum autem ad Patriam suam venissent, & à Svevis il- „ lam obtentam reperissent, omninò Svevos destruere ac penitùs dele- „ re cogitârunt. Svevis omninò bellum detestantibus, primò tertiam „ regionis partem, mox medietatem, dein duas partes, mox omnem „ terram & omnia pecora offerentibus, tantùm ut à bello cessarent Sa- „ xones. Sed nec hoc Saxones acquiescentes prælium expetunt, quo „ commisso, *viginti millia Saxonum* cæsa & ferè contriti Saxones pluri- „ mi in Svevos abiêre. **Expeditio Svevorum in Saxoniam.** **Saxones in Svevos abeunt.**

§. IX.

Recensentur Reges Svevorum, qui diversis gentibus imperârunt.

CAtalogum Regum proponimus, quos Svevia protulit, & adoravit; aliisque populis per arma obtulit adorandos. Ferax Ducum Regumque Regio, quæ & exteris & extremis terris viros intulit, qui sceptra pro clavis, diademata pro galeis referunt. Coronata Svevorum capita, etiam Hesperiæ Regna adorârunt. Scilicet Patrio non contenti regno; Svevi alia Regna quæsiêrunt, ceu Orbem alium Alexander. Ut verò ordine in recensendis Regibus procedamus, primùm eos proponimus, qui ad *Vistulam*, *Albimq;* & *Balthiam* imperârunt. **Catalogus Regum Svevorum.**

Reges Svevorum ad Vistulam & Albim &c. celebriores.

1. Primus Princepsque fuit *Marovinus*, ad Vistulam & Mare Balthicum: prout ipsum nomen ex lingvâ Gothicâ indicat, scil. *Maris Dominus.* De eo Godofried. in Annal. German.
2. *Pyramius*, de quo idem Auctor. ibid.
3. *Ariovistus* quasi *Orovistas* i. e. *Augur.* Bellator strenuus, ævo *Julii Cæs.* de quo idem. [t]
4. *Cimmerius*, de quo idem c. l.
5. *Nasva*, Magnanimus Svevorum traductor ad Rhenum. *Julius Cæs.* ibid.

Q 6. Ma-

[r] Videatur Jornandes de Successionibus temporum. [s] lib. I. Histor. Longob. c. 6. & 7. [t] lib. I. Hist. Gall.

6. *Maroboduus*, bellis contra Romanos gestis clarissimus; sed cui non eadem belli fortuna. Regno pulsus à *Gotwalda*. *Tacitus* lib. 2.

7. *Gotwaldas* Gothorum, seu ut Lazius c. l. vult *Gothinorum* Princeps prope *Kuttenberg* in Bohemia, regno pulsus à *Jovilio*, aliis *Jubilio*. Cujus meminit *Tacitus* c. l.

8. *Vannius* à propriis avunculis *Sudone* ac *Bandone* seu *Vandone*, dominatu exactus, tempore *Claudii* Cæsaris. [u]

9. *Sido* & *Utalus*, quem falsò alii fecerunt *Italum*. [x]

10. *VVarobartus*, à *Marco* Cæsare victus, cujus meminit *Lucianus*, [y] item *Eutropius*, *Orosius*, *Julius Capitolinus*, *&c.*

11. *Gundaricus* & *Ardaricus*, sub *Diocletiano Imperat.* floruerunt, horum meminit *Jornandes*.

12. *Saloninus*, magna Pannoniæ parte à Cæsare Galieno ditatus, qui ejus filiam, Pupam, sic ob venustissimam formæ gratiam dictam, quam alii Pipam faciunt, in uxorem duxit. Hos seqvuntur, qui ad Albim & Svevum regnârunt: quorum nomina referuntur hæc: *Aromandus*, *Hildemundus*, *Cannabaidis*, *Carevistus*, *Aldegastus* *&c.* *Ultimus* censetur *Richemirus*, qui Svevis ac Marcomannis sub Constantino M. imperitabat.

Reges Svevorum in Hispania, & Lusitania.

1. *Ermericus* Primus Svevos in Hispaniam traduxit, fertur Gallæciam occupâsse, Vandalis in Africam trajectis.

2. *Recilla*, seu *Rechilla*. Hic *Antebodem* Romanorum Ducem in Beticâ vicit, & *Beticam* suæ Jurisdictioni subjecit. Subjugavit & in Lusitaniâ *Emeritum* & *Carthaginensem* Provinciam.

3. *Reciarius*, seu *Richarius* juxta Jornandem Rex *Catholicus* factus, *Thevodorodi* Gothor. Regis filiam uxorem duxit, à Theodorico Gothorum Rege captus & interfectus.

4. *Achiulphus* à Theodorico Gothorum Rege Regno Gallæciæ præfectus, ut sub Gothorum obsequio regnaret, qui cùm rebellâsset, capite plexus est.

5. *Mazdra*, à Svevis electus, Theodorico assentiente, cujus Anti-Rex, *Prauta*, qui aliis *Frauta*, audit.

6. *Remismundus*, Mazdræ filius, *Lusitaniam* sibi subjecit ferè totam. Hujus tempore *Ariana hæresis* Svevos corripuit.

7. *Theodomyrus* Rex *Catholicus* factus, *Silingos*, *Vandalos*, sibi subjecit.

8. *Myro* ex Catholico factus *Arianus*.

9. *Ericus* filius Myronis, regno privatus & monasterio inclusus.

10. *Andeus*, postremus Svevorum Rex in Hispania; bello petitus à *Leonegildo* Gothorum Rege victus, captus, & in cœnobium intrusus. Sicque regnum Svevorum & nomen in Gallæcia desiit.

Reges

u Tacit. lib. 12. Plin. lib. 4. c. 12. x Tacit. lib. 9. y in Pevdomante Dialogo.

Reges Svevorum in Norico & Liburnia.

1. *Hildemundus* à *Gallieno* Imper. accepit Regnum Valeriæ.

2. *Gabinius*, confirmatur Rex Svevorum in Valeria, cujus meminit Ammianus Marcell. (lib. 17.)

3. *Fragiladus* & *Jutrodonis*, de quibus idem Marcell.

4. *Kunimundus* seu *Hunimundus* victus à Theodomiro Gothorum Rege. Jornandes.

5. *Agiulphus* à Theodomiro Gothorum Rege, Rex Svevorum substituitur. Auctor idem.

6. *Droctulphus*, recensetur à Paulo Diacono in Longobardica Historia. Ejus ditio ad *Forum Julium* extendebatur.

7. *Giwolphus* seu *Gibolphus*. Hujus mentio fit apud *Eugippum* in Historia S. Severini. Hic tempore Gelasii R. Pont. *Noricum Ripense* & *Vindeliciam* depopulatus est, *Laureacumq;*, *Patavium*, *Tiberniam*, civitates Italiæ vastavit.

8. *Viridomarus*. Hic *S. Maximum* Juvaniæ Episcopum, una cum quadraginta quinque clericis, in scopulis montis, in quos profugerant, interfici jussit.

Catalogum Regum ad *Rhenum* & ad *Rhetias*, cùm multa apud Historicos sit varietas, apponere supersedemus. De quibus tamen Wolfg. Lazius lib. 8. de migrationibus Gent. fusè satis agit.

§. X.

Ostenditur & probatur, Svevos fuisse Gotho-Sarmatas.

SVeones, qui Scriptoribus Svevi audiunt, Aquilonaribus populis, scil. Gothis & Sarmatis annumeratos fuisse constat ex iisdem Scriptoribus. Ita antiqvus in Latio vates; cui *plusquam civilia bella, jusq; datum sceleri* cecinisse obtigit; *Svevi fuerunt Gotho-Sarmatæ, probatur.*

Fundit ab extremo flavos Aquilone Svevos. *Lucanus.*

Ab extremo, inquit, more Poëtico. Non quod Svevi omnium Aquilonarium populorum extremi, sed quòd Romanis cognitu postremi fuerint; ideoque extremi habiti Aquilonis incolæ; ultra quos, positas extremo sub Aquilone gentes, populosque ultra Albim & ad Balthicum diffusas æquor, illi ignorabant; credebant inde Balthici maris litora extrema septentrionis esse, quæ nec ipsa satis perspecta habuerunt. *Svevi extremi aquilonarium populorum quo sensu dicuntur.* Equidem *Æthicus* [z] scribit, à Julio Cæsare vel potiùs ipsius mandato, orbem terrarum fuisse dimensum. *Orbis terræ dimensus.* *Strabo* [a] tamen testatur, has oras Romanis fuisse incognitas, *Drusumq;* Cæs. pervenisse tantùm ad Insulam *Bircanis* nomine, quæ in septentrionali Oceano cis Albim, respectu Romani Imperii, sita fuit. De hoc Imperatore *Dio Cassius* [b] scribit, quòd Albim transire volentem, mulier quædam humanâ amplior formâ, obviam ei facta, prohibuerit dicens: *Druse quò tandem, nullum cupiditati tuæ modum statuens, contendis? Non tibi satis concessum, hæc omnia videre.* Ex prædictis patet, ea quæ trans Albim ad Oceanum sita

z. Initio Cosmograph. a lib. 7. Geograph. b lib. 55.

sita erant, fuisse Romanis incognita. Quo docemur, facile Antiquos potuisse aberrare in iis, quæ nobis proposuerunt: ne itaque cum iis Lector aberret, posteriorum temporum Scriptores, majore edoctos experientiâ conferat necesse est cum veteribus: certiora illi nonnunquam suppeditant veritatis argumenta, in Aquilonaribus describendis.

2. Ex Plinio. Sed ad Svevo-Gothicum redeamus Orbem; agnitus est ille Plinio,[c] qui Jazygum Sarmat. loca enarrans, eorumque montes & saltus; meminit Svevorum ad fluvios Duriam & Patiscum, (hodie is Theissa dicitur,) quibus à Dacis dirimebantur. Idem *Vannianum* Quadorum Regnum, Regnum Svevorum vocat, quod à Maro Daciæ fluvio incipere dicit. Verba Plinii sunt: *Superiora autem inter Danubium & Hercyniam Silvam usq; ad Pannonica hiberna, Carnuncii: Germanorumq; ibi confinium. Campos & plana, Jazyges Sarmatæ: Montes & saltus pulsi ab his Daci ad Patiscum amnem; Amerois seu Duria est, à Svevis regnoq; Vanniano dirimens eos: ex adverso Bastarnæ tenent Haliq;, inde Germani.* Hic Svevi à Germanis distingvuntur: Svevisque assignatur locus in confinibus *Hungariæ, Transylvan. Minoris Poloniæ* & *Russiæ*, quò fines sedesque suas extenderunt.

3. Ex Apollinari. Accedit prædictis *Apollinaris* testimonium, qui in Carmine Panegyric. ad Majoran. Septentrionales enarrans populos, recenset Svevos, medios inter Bastarnas & Pannones. Carmen ipsius Poëtæ audiamus:

Cardine Sithonio sub Parrhasi parturit Ursa,
Hoc totum tua signa pavet: Bastarna Svevus
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bassalta, Ostrogothus, Procustes, Sarmata, Moschus,
Post aquilas venêre tuas ubi militat omnis
Caucasus, & Scythiæ potor Tanaiticus undæ.

4. Ex Isidoro & Orosio. Multum sententiæ nostræ favet *Isidorus*;[d] ex quo discimus, Svevos Gothis conjunctos fuisse: cùm enim *Stilico* contra Gothos, eorumque Regem *Rhadagausum* hostem Imperii, Gothos alios pro defensione ejusdem Imperii, sub signa sua vocaret, & alliceret stipendiis, nominantur etiam *Svevi*. Qui cum *Alanis*, *Burgundis* cæterisque gentibus Mari Balthico vicinis Romana territoria ingressi sunt. Duces eorum *Sarus* & *Hulda* vocantur. Conferatur Isidoro Orosius.[e]

5. Ex Aurelio Victore. Favet & *Aurelius Victor*,[f] ex quo discimus Svevos à Dacis non procul habitâsse. Meminit *Marobodui*, quem Regem Svevorum nominat, Regnumque Bohemiæ possedisse refert. Limites verò Regni Svevici versus Septentrionem Dacis fuisse confines testatur.

6. Ex Eutropio. *Eutropius*,[g] bellum describens Marcomannicum. Svevos fuisse conjunctos populis Gothiæ scribit; nimirum Quadis, Vandalis, Sarmatis.

7. Ex Pomponio Læto. Et *Pomponius Lætus*[h] Gothicas Sarmaticasque gentes enumerans, *Hunnos*, *Gepidas*, *Sarmatas*, *Scythas*, *Svevos*, *Quados*, *Herulos*, Ugrosque numerat.

Gene-

c Plin. lib. 4. c. 12. d Ad Ann. 404. e lib. 7. c. 37. f In Tiberio. g In Antonin. h In Theodosio.

Genebrardus [i] ex Sigeberto deducit, quòd cum Alanis & Sveo-Scythicæ, (Gothicæ) originis, tribus annis in Gallia exactis Hispaniam inundârint; *Vandalis* & *Svevis* Gallæciam, *Vandalis* & *Silingis* Boëtiam, *Alanis* Lusitaniam & Celtiberiæ partem sibi recipientibus. Et quis est in Antiqua tam hospes historia, ut neget vel ambigat populos Hispaniæ Regna inundantes fuisse Gothos? Quod autem Svevis ob armorum & Imperii conjunctionem, permisti fuerint, nihil certius est, adeo erant invicem associatæ gentes, ut & Gothi Svevis & Svevi Gothis imperaverint. Videatur Ritius de Regibus Hispan. Testatur Cassiodorus [k] de Theodorico Gothorum Rege in Italia, quod adscitus in societatem Imperii à Zenone & Leone Imperatoribus Svevis in Rhætia commanentibus *Fribadum* Ducem elegit, Præsidem constituit, Severianum Comitem, ut Gothorum nomine ibi jus diceret. Sed mirum nonnullis videbitur, quì una sit Svevorum Gothorumque gens; cùm tamen Svevi à Gothis pulsi sint, cedereque coacti ex Galliis in Hispanias. Sexcenta ego mira similia opponerem: Quoties motus Civicos Roma sensit, toties bellâsse secum visa est, testantur Campi Pharsalici, qui non Romano tantùm utrinque sed fraterno maduerunt sangvine. Quoties vicina, dolendum! Germania in propria armis rebellibus sævit viscera? Imò Patria nostra, quoties mutuis seipsam oppugnavit. Legimus quanta Poloni cum Lietvanis, Jazyges, cum Polonis, Masovii cum Prussis &c. bella gesserint, & tamen hi omnes una Sarmatarum gens. Quid itaque mirum est, si pars Gothorum una contra alteram & quidem potior contra Scyros, Gepidas, Svevos & Rugos insurrexerit. Bellorum tam faciles causæ, quàm dissidiorum; hæc privata, illa publica. Paulò supr. ex Isidoro legimus, Gothos contra Gothos evocatos esse à Stilicone in suppetias Romanorum. Et certè ipsa Gothorum multitudo sibi ipsi obfuit: in tantùm enim excrevit populosa gens, ut ipsamet suam ferre non potuerit potentiam: unde in bella intestina prolapsa, mutuis se cædibus prope confecit. Spectavit hæs cædes Svevia in *Fridigerno* & *Athalarico*; spectavit in *Saru*; & *Rhadagusio* &c. profusique sangvinis causæ potissimæ ambitio & major potentia erat. Cùm igitur Svevi, Gepidibus, Rugiis, Scyris, Sarmatis, Gothisque conjuncti, in unam gentem fœdere juncto abiêrint, necesse est, ut Gothos vel confines Gothis, unius tamen cum iis lingvæ fuisse populos, quod de lingva alibi demonstrabitur.

8. Ex Sigeberto & Genebrardo.

9. Ex Cassiodoro.

Respondetur Objectionibus.

Gothi contra Gothos bella gerunt.

§. XI.

Deducitur Sveonum nomen è Lingva Sarmatica, tanquam ab Origine sua.

SVevorum terram, non fuisse Sveciam, nec Sveones Svecos probatum est suprà initio Capitis §. 1. Probandum nunc manet. Sveonum Patriam fuisse Sarmatiam; illosque Sarmatas. Ipsa derivatio nominis nobis argumento hujus rei est, quæ non ab alia lingva, quàm à Sarmatica provenit, eam ita proponimus. *Sviones*, quomodo

Sveones Sarmatæ.

Sveones vox Gothica.

i Ad Ann. 406. k In Epistol. variar. Cognit.

do Tacitus, Plinius & Helmoldus loqvuntur est vox merè Gothica, denotatque maris vel fluminis accolam. Ita enim hodie adhuc Maris Balthici accolæ & qui ad Æstuaria Prussica, Recens, Curonicum, quique ad Niomon & Duinam fluvios per Prussiam, Curoniam & Lietvaniam degunt; communi ac usitato nomine Sweje dicuntur. Audiunt & Swieonai & Swiejuni. Hinc Sviones Sveones Latinis pro Svejones dicti. Et quamvis alia omnino in his ad mare Balthicum oris facies Reipubl. primis temporibus fuerit, quod ex Tacito apparet, qui generaliter divisit incolas oræ Balthicæ in *Sviones* & *Sitones*: hac tamen voce duplici distincta fuisse videtur gens Balthica in statum duplicem, scil. in Plebem & Proceres, seu Judices. Sithones namque idem denotat, quod Sidonis & Sudones vel prout hodie Sudzones, de quibus in Delic. m. Provenitque hoc nomen à voce Samogeth. Sydu vel Sudu, pro dialecto Russica, Sudia; pro hodierna Polonorum Sedzia. Hinc à Latinis Sidones vel immutata litera Sitones formata vox, nomenque populorum Balthiæ, quibus idem sonabat quod Judices Latinis. Svejones plebs erat nautica & piscatoria. Hac ratione etiam Pomerania nomen suum obtinuit: Pomerani enim dicti sunt quasi *Pasmari* i. e. qui mare accolunt. Hinc Pomerania *Vincentio Kadlubkov.* aliisque rerum Slavonicarum Scriptoribus antiquis; dicta est *Maritima*, nisi à Polonis deductum nomen potiùs dixeris, quibus Pomerania, *Pomorze* dicta est, i. e. *terra mari adjacens* vel *ad mare sita.* Cùm autem hodierni maris accolæ plurimùm ex *piscatura* vivant, incepit Sveonis vox notare *piscatorem* & *nautam* in Prussicis vicinisque locis: qui quòd sint laboris, frigoris & æstûs patientissimi, egregii milites ex iis eligebantur; quæ Electio viget usque in Prussia, potissimùm in *Sambia*, Prussiæ Provincia, ubi agri inter plurimos accolas hac conditione distributi sunt, ut semper quasi custodes, litora maris observent, atque eadem, sub belli tempus, ut milites ad id pretio conducti, tueantur; quamvis interim pacis tempore Coloni sint. Jam viderit Lector, an Balthiam nostram non jure dixero *Scandinaviam Sarmaticam?* Viderit quoque, quantum tribuere debeat Cluverio [l] opinanti, nullos alios intelligendos esse populos per Sveones, quàm Svecos, neque per Sithones, quàm Danos & Norwegos. Ita enim ille, *Totam*, inquit, *Peninsulam Scandinaviam duo Svevorum genera incoluerunt, Sviones & Sitones, terminus inter eos statuendus est mons Sevo à Codani Sinus faucibus, qua oppidum Norwegis est Opslo, seu Anslo, ad lacum usq. Album; ita ut Norwegia cum Finnomarchia ac Scritofinnia Sitonibus tribuatur: Lappiæ autem, Biarmia, Bothnia occidentalis, Svedia, Gothia cum Danici Regni partibus, Bleking, Schone & Halland Svionibus.* Hactenus Cluverius.

Sviones & Sitones quid?

Sithones vox quid denotet?

Pomerania i. e. Maritima.

Samia aliàs Sambia.

Balthia Scandinavia Sarmatica.

Error Cluverii.

§. XII.

l lib. 3. cap. 41.

§. XII.
Sveones, accolæ Maris Balthici, unde Romanis innotuerint?

QUod dubium attento Lectori venire potuit, hoc in quæstionem adduco præsentem, qua scil. ratione, sub hoc Sveonum nomine, Balthici Maris accolæ in Romanorum notitiam devenerint? Certum est, populosam gentem Balthiæ commercia sua primò cum finitimis; progressu dein temporis, cum remotioribus etiam & longè dissitis nationibus habuisse. Inerant illis suæ raritates, atque hinc pretia rerum domi natarum. Sed maximè inerat *Succinum*; quod ubi in exteras Provincias, paratis ad id navigiis per Mare devehebant, interrogati, ut pronum est suspicari, ab exteris: quinam, & unde essent? Responderunt se esse Sveones, Maris accolas, nautas & piscatores succini. Aut certè avida lucri mortalium mens è Romanis partibus mercatores attraxit, ut in longinquis etiam oris pretia rerum quærerent; qui errore viarum vel tempestate adacti, an consultâ operâ in has Balthiæ oras appulerunt, in quibus, cùm invenissent merces, ex raritate pretiosas Romanis, nempe Succinum, cum mercibus etiam peregrinos homines secum duxerunt; quos cum de nomine gentili & Patrio sciscitati essent, respondebant se esse Sveones, i. e. Succini piscatores &c. quod deinde per frequentata in Balthiam itinera, Romani lingvam Venedorum edocti meliùs didicerunt. Hæ sunt rationes, mihi satis probabiles, quibus Balthidæ aut innotuerunt Romanis, aut certè innotuisse poterant. Quòd etiam Prussi in exteras Provincias navigaverint frequentiùs testatur Bremensis, [m] qui expresse navigationum meminit, quas GOTHI & SEMBI in Gotlandiam, ejusque civitatem *Bircam* instituerint, qua de re fusius in Delic.

Sveones Romanis noti per Commercia,

imprimis Succini.

Per frequentata in Balthiam itinera.

Per Prussorum navigationes.

§. XIII.
De Illustrioribus Sveo-Gothorum familiis.

QUos quantosve Viros Orbi Europæo Svevia dederit, palàm est Eruditis. Vix ulla gens plures aut potiores dedit. Nihil illa minùs reliquis habet, quæ vel de Illustrissimis, Comitum, Ducum, Principumque familiis, vel de Serenissimis Regum prosapiis, vel Augustissimis Imperatorum domibus superbè gloriantur. Coronata hìc solùm censebimus capita, quæ Svevico sangvini suam debent originem. Ex Illustrissima Comitum à *Beiblingen* & *Kalwu* stirpe, quatuor ex ordine legimus Romanorum Imperatorum nomina scil. *Conradum II. Henricum III. Conradum III. Henricum IV. Henricum V.* familiâ. Comitum ab *Hohenstauffen* Augustos numerat, *Friedericum I. Conradum III. Henricum VI. Friedericum III. Philippum II. Conradum IV.* Ab Illustrissimo *Habsburgiani* sangvinis fonte, quot Imperiales Regalesque profluxerunt coronæ? Ipsa Augustorum Nomina numeramus sedecim. Coronatos Regnorum in Euro-

[m] Adam. Brem. de situ Daniæ & lib. 1. Hist. Eccles. c. 50.

Europa Principes quis recenseat? Primus Augustam Imperii Majestatem obtinuit *Rudolphus I.* quem secuti, continuata fere serie *Albertus I. Friedericus III. Albertus II. Friedericus IV. Maximilianus I. Philippus I. Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias I. Ferdinandus II. Ferdinandus III. Ferdinandus IV. Leopoldus I.* felicissimè Romano Orbi hodiè imperans. Augusta Austriacorum domus quantùm Sveviæ debeat, Habsburgensis sangvis loquitur, qui suam Sveviæ debet originem. Augusta Romani Imperii Majestas, quantùm etiam debeat Domui Austriacæ, tot Imperatorum nomina loqvuntur. Debent eidem tot aliæ Regnorum Majestates, præter *Hispanias* & *Indias*, scil. *Italia*, *Hungaria*, *Bohemia*, *Croatia*, *Slavonia*, *Dalmatia* &c. Austriacum adorant sangvinem. Non tacebo hic Marchiones *Brandeburgicos* S. R. J. Electores, etiam hi suam Sveviæ debent originem, cùm & Comites à *Zollern* Illustrissimi, è quorum illi sangvine. Duces *Luneburgi* ac *Brunsvig.* similiter Sveviam agnoscunt Domûs suæ Matrem, & venerantur, quam & Comites ab *Altorf.* Ad eandem se referunt Duces *VVirtenberg* Comites de *S. Monte*, oriundi. Plures non vacat recensere familias.

CAPUT VI.

De Cimbris, Venedis, Æstiis & cæteris Gotho-Sarmatiæ populis.

QUod prædicti populi, Gotho-Sarmatæ fuerint, hìc nobis demonstrandum est, præter alia, ipsum mare terraque Balthica, nativa populorum sedes demonstrabit.

§. I.

De Cimbris, eorumque Sedibus.

Origo Cimbrorum.

CImbrorum gens clarissima, ubinam primùm consederit, vix nobis constare potest. Lazius [a] primam gentis hujus originem persequens, eruditè satis deducit. *Ascenam*, nepotem Japeti, pronepotem Noæ, parentem Cimbrorum, Tuisconum & Galatarum fuisse, posterosque illius, præcipuè post belli Trojani tempora ad *Mare Cimmerium*, i. e. Pontum Euxinum, delatos, ibique cum *Cimmeriis ad Bosporum* sedes habuisse; unde postea sub Rege *Meradaco* ut testatur Herodotus [b] Anno Mundi MDCXX. ut vult Berosus Chaldaicus, exiêrunt. Quorsum autem progressi sint, non constat. Illud ex *Floro* [c] accepimus, *Cimbros primùm Romanis innotuisse.* Anno ante Nat. Christ. CXI. Consulibus. C. *Metello* & C. *Papirio* teste Tacito. Sequenti anno quarto, Cimbros Romanorum fines ingressos, à Romanis agros poposcisse; contra Jul. *Syllanum*, prosperè satis pugnâsse, nec tamen sedes vel agros à Romanis obtinuisse: Evoluto post Anno Romanas

Cimbri quando Romanis innotuerunt primùm.

Expeditiones Cimbrorum.

a lib. 1. b lib. 4. c lib. 3. cap. 3.

manas infeſtâſſe terras, C. *Manlium*, *Servilium*, *Scipionem* à Senatu Populoque Romano miſſos, caſtris binis exutis, totumque exercitum debellâſſe, octoginta militum millibus & quadraginta millibus Calonum cæſis captisque. Victorioſus Cimber poſt multis incurſionibus Romanos vexavit; Demùm Anno ante Natales Chriſti XCIX. juxta *Nathesin* fluv. in *Foro Julio*, *à Mario* repreſſus, cæſis 140000, captis 60000. [d] Reliquiæ Cimbrorum in Græciam profectæ, ad *Delphos* caſtra poſuerunt. Unde pluvia in eos, ante inceptam pugnam cum procellis fulguribusque delæviente, in Pannonias diſceſſerunt. Inde in *Rhætiam* ad Montem Pyrenæum, prout Auctor citatus fusè id ex *Appiano* probat. Ibi in varios tribus diſperſi *Brenei*, *Cimbri*, *Siambri*, *Sicambri*, *Briones* audiêrunt. In Pannonia tamen plurimos manſiſſe probari poteſt ex *Antonini Itinerario*, in quo *Municipii Cimbrorum* in Pannoniis memorat. Hi ſub nomine *Sicambrorum*, Gothis bellum indixiſſe, imò & *Borobiſtam* Gothorum Regem deviciſſe dicuntur. Cimbros hos dicit Florus c. I. ab *extremis Galliis* profugos, cùm terras eorum exundâſſet Oceanus, quæ exundatio facta videtur fuiſſe tempore Ariſtotelis. *Extrema Galliæ* intelligimus hìc Germaniæ partem: Cùm enim Germania tum temporis nimiùm extenſa, usque ad Pontum Euxinum, adeoque terras Sarmaticas complexa fuerit; incertum eſt, quem locum daturi ſumus extremis Galliæ, Auctoribus eum non deſignantibus. Hoc quidem legimus, illos ex Pannoniis vel *terreſtri itinere*, (ut *Gregorius Turonenſis*, & *Urſper.* volunt) vel *navigatione* per mare Germanicum ad Rhenum delatos, quorum capita circiter 489360. cenſebantur, à Teutonibus *Neomagos*, i. e. novos cognatos appellatos eſſe. De his Cimbris adhuc Dynaſtas aliquos Seculo XIII. poſt natum Jeſum, in Svevia hodierna ſuperſtites fuiſſe dicit Wolfg. Laz. [e]

Cimbri cæſi. *Cimbri ad Delphos.* *In Pannonias diſcedunt.* *Inde in Rhætiam.* *Cimbri Sicambri* *Bella gerunt cum Gothis.* *Unde Cimbri hi venerint?* *Extrema Galliæ quæ?* *Qua ratione ad Rhenum delati Cimbri.* *Neomagi dicti.* *Cimbrorum dynaſtæ.*

Ex iis alter erat, *Conradus* nomine, Abbas divitis Augiæ: alter fundator cœnobii Sefflingenſis prope Ulmam Ann. Chriſt. 1255. *Plutarchus* de Cimbrorum migrationibus hæc ſcribit: *Hos domo egreſſos, non uno nec perpetuo impetu, verùm ſingulis annis, ſemper ſub ver porro progredientes, arma circumferendo, peragráſſe continentem Europæ.* Similia his habet Quintilianus. [f] *Gens*, inquit, *majorem terrarum partem victoriis pervagata, tantùm in Mario ſtetit.* Et quamvis poſtea pars gentis Cimbricæ legationem cum donis ad Auguſtum miſerint, veniam illatarum quondam à majoribus ſuis injuriarum, & amicitiam petentes; tamen non adeo magnam fuiſſe gentem tùm temporis, patet ex Tacito, qui Cimbrorum *parvam civitatem* vocat. Ptolomæus aliquos populos nominat, Cimbrorum affines vel confines. ſcil. *Saxones*, *Sigulones*, *Sabalinges*, *Cobandos*, *Chalos*, *Funduſos*, *Charudes*, &c. Quando autem, quo Duce, quo numero, per quas terras Cimbri ad iſtam Cherſoneſum Jutlandicam venerint, nullus, quod ſciam, antiquorum meminit. Neque puto, ullum veritatis aut certitudinis ſubſidium accedere illis poſſe, qui Jornandi malè in his informato, in plurimis quoque falſitatis ab Auctoribus convicto fidem adhibent. Plus

Plutarchi & Quintiliani ſenſus de Cimbris. *Cimbrorum affines populi.* *Cimbri ad Sarmatas referuntur.*

S *Stra-*

[d] Conf. Laz. lib. 3. [e] lib. 8. p. m. 515. [f] Declamat. 3.

Straboni c. l. hic dandum esse æstimo, qui *Cimbros ad Sarmatas*, non procul à Mœotide ponit. Similiter *Eutropio* [g] qui ad Gothos referre illos videtur, quorum mulieres strenuè non secus ac viri bellare fuerant edoctæ.

§. II.
De Cimbrico Promontorio.

COmmuni Geographorum sententia Cimbricum Promontorium est, Promontorium *Juthlandicum*, adeoque Cimbri erunt, in terra *VVensussel*, cum affinibus *Sleswigiis*, *Holsatis*, & *Dithmarsis*. His terris contiguas Insulas quæ XIII. numerantur Romanis innotuisse scribit Plinius. [b] Interim verbum Cimbrici promontorii, quandoquidem verba tantùm valent, quantùm nummi, non hìc anxiè discutiendum est, an scil. rectè Promontorium Juthlandicum Cimbricum appelletur, postquam tot Eruditi tam diu illud nuncupârunt: Ab hoc Promontorio sinus maris Balthici, à nonnullis modò dicitur *Cimbricus*, Cimbrorum Peninsulam à Plinio dictam *Cartris*, alluens.

§. III.
De Venedis, eorumque nominis derivatione.

Venedorum nomen variat. VEnedorum nomen variat. Audiunt enim Plinio. *Benedæ*, aliis *Vendæ* & *Vendi*. Germanis; **Wenden** sæpius cum *Venetis* Italiæ populis confunduntur, nec minùs cum *Vandalis*, *Vindulis*, *Vinulis*, &c. apud Auctores confundi Hartknochius lib. de Orig Pomer. testatur. *Derivatio nominis Venedorum.* Non solùm nomen Venedorum, sed ipsa quoque derivatio nominis variat. Sunt non ineruditi Viri, qui nomen illud à Græco

1. *Benna*, i. e. *Toga* derivant, alludenes ad genus hominum pacatum.

2. Alii autem voce *Bendis*, quod est nomen proprium *Deæ* apud Lucianum, [i] videturque è mente Auctoris *Dianam* aut *Lunam* notare. Verùm ejusmodi Originationes in nostris non possunt subsistere principiis. Sæpiùs enim suprà monuimus, atque nunc monemus Lectorem; quod unaquæque gens sive populus, nomine quodam domi nato, scil. è lingvâ nativâ suâ, non adscititiâ alienâ petito, sese nominaverit, quare & prædictas derivationes Græcanicas rejecimus in præsenti. Cùm enim Venedorum populus, fuerit verè Sarmaticus, ex eâdem lingvâ Sarmaticâ, ejus nominis origo petenda est.

3. Meo itaque, sed salvo meliore judicio, vox *Venedas* à voce Panas derivata videtur, unde & *Panaitis* derivatur, denotatque Dominum, vel Herulum vel Regulum, in tota ferè Sarmatia. Qua vero ratione vox *Panaitis* in vocem *Veneda* deflexerit, ostendimus. Erat antiquis in Prussia Gothis *a* vocalis intermedia inter *a* purum & *e*. Hanc quidam, in pronunciatione ad *a*, quidam ad *e* deflectebant: eratque id solemne Sarmatis, magis autem Romanis, quibus vocales *a e* & *o* commutare, consonantes *P* & *B*. *T* & *D* permutare frequentissimum fuit. Ita iis Venedæ & Benedæ audiêrunt pro Paneiti, quod durius efferendum esset,

g lib. 5. p. 485. b lib. 4. c. 13. i In Dialog. Zeus τραγῳδιον.

esset, elidendo scil. *i* in diphtongo *ei* more Gothorum usitatissimo. Hinc est, quod iidem Venedi, ab aliis, quos Latium protulit, Auctoribus dicti sunt *Heruli*, quasi Reguli ac Domini terrarum: eademque locorum spatia iis & Venedis tributa. Videtur id probare Jornandes, qui *Vendos* & *Herulos* unà cum *Antibus* & *Slavis*, ab unâ stirpe dicit esse exortos. Atque hos Venedos fuisse Sarmatas clarissimè testatur Ptolomæus c. l. his verbis: *Sarmatiam gentes maximæ incolunt, Venedi apud omnem Venedicum sinum ad Vistulam amnem.* Consentit Ptolomæo *Plinius* [k] qui præter Venedas seu *Benedas* etiam *Scirros & Hirros* inter Sarmatas numerat. Jornandis ævo dicebantur *Vinidæ*, nomina sæpe mutantes & loca; quibus *Antes* & *Slavos* visitatenus adjungit Auctor: ad Vistulæ ostia *Vidiarios* collocat, pro quo legunt quidam *Viridarios*, quasi die Werderschen / i. e. *Insulares*, quos ex diversis nationibus aggregatos dicit. Iidem Venedi sunt ipsissimi *Vendi*, Germanicè: Die Wenden / per hodiernam Germaniam huc illuc dispersi, olim *Venedi & Vinuli* dicti, quorum progenies teste Lazio c. l. ad Carpathos consedit montes, inde *Vindorum Marchionatus*, i. e. die Windische Marck / insignis & celeberrima Provincia.

Venedi Sarmatæ.

§. IV.
De Mari Venedico, & Balthico.

Mare Balthicum dictum Venedicum.

MAre Balthicum, pars juxta Antiquos, & sinus Oceani septentrionalis, antea dictum fuit *Venedicum*; scil. à *Venedis* populis, qui & *Vendæ*, incolæ olim terrarum *Meklenburgi*, *Pomeraniæ*, *Lüneburgi*, *Prusiæ*, *Curoniæ*. &c. *Ptolomæus* [l] *Sinum Venedicum* vocat ad cujus littora conterminantur Sarmatæ. *Jornandes* Mare hoc appellat *Sinum Codanum*: describens enim *Scanziam suam*, multas in se insulas continentem, inter quas præcipuæ sunt *Scandinavia & Finningia*; ita inquit: *Ab Oriente habet vastissimum lacum in orbis terræ gremio: unde* Vagus *fluvius in Oceanum undosus evolvitur. A septentrione quoq; innavigabili eodem vastissimo clauditur Oceano, ex quo quasi brachio exeunte, sinu distento, Germanicum Mare efficitur.* Videtur hic Auctor, statuere, Mare Balthicum inter lacum quendam vastissimum ab Oriente, & inter Oceanum à septentrione. Sed quis ille Lacus, & ubinam propriè sit, non indigitat. Juxta hodiernum maris situm, Lacus ille erit vel *Ladoga*, vel *Onega*. Evidens hic error, quem præter alios advertit Cluverius, [m] ubi demonstrat Auctorem non habuisse sufficientem horum locorum notitiam, sed ex vagâ confusâque navigantium narratione asseruisse, quod *Sinus Bothnicus* in Oceanum se exoneret, *Sinus* autem *Finnicus* meatu Vagi fluminis in eundem Oceanum. Hunc sinum *Tacitus* vocat, *Oceanum*. Cluverius citatus notabilem agnoscit antiquorum de eo errorem: crediderant ii, sinum hunc, rursus transire in Oceanum septentrionalem; fortè in *Mare Album*, quod hodie *Biate-Morze* dicitur. Unde autem Mari Balthico *nomen* venerit, nemo, quod sciam, de hoc dilucidè scripsit: Fusè ego in Delic. Ant. Pruss. Brevi-

Et Codanum.

Sensus Jornandis de sinu Codano.

Antiquorum Error de Mari Balthico.

k lib. 4. c. 13. l lib. 8. m lib. 3. c. 37.

Unde Vox Balthia?

Brevibus hic mentem meam expono. Certum imprimis est, Græcos, antequam Romanis oræ nostræ cognitæ fuerint, Insulam sive Terram Maris hujus, meridiem ac orientem versus dixisse jam *Balthiam*, testibus Plinio, [n] Solino [o] & Diodoro. [p] Num autem iis temporibus Mare quoque appellatum sit Balthicum, nobis non constat? cùm enim Romanorum navigia non legamus eò appulisse, non est integrum, certi quidpiam hâc de re dicere aut statuere. Certum & illud est, Auctores, qui Mare hoc nostrum *Balthicum* nuncupant, inter primos haberi *Helmoldum*, ejusque sequacem *Adamum Bremensem*. Cluverius conjecturat, Insulam *Codanoniam*, quæ nunc *Seelandia* dicitur, dictam fuisse Balthiam; ratione hâc ductus, quod fretum Maris Balthici, inter duas Daniæ Insulas *Fine & Seeland* situm, antiquo satis vocabulo *Belt* dicatur; Insula vero Codanonia freto huic proxima sit. Albertus *Krantzius* ab hac Insula totum mare Balthicum dictum esse suspicatur; cujus auctoritatem adeo secutus est *Ortelius*, ut Xenophonti adscripserit, quod sinum hunc ille dixerit Balthicum. Quicquid sit de his; mihi multùm probabile est, Mare Balthicum, nomen hoc ab Insula Balthia, quæ nunc Samia sive Sambia dicitur, ora Prussiæ succinifera, accepisse, de qua in §. seq. unde patebit clariùs hæc nominis derivatio.

Cluverii Sensus de Balthia.

Balthia an Codanonia?

Belt Danicum.

Sensus Krantzii & Ortelii.

Mare dicitur Balthicum ab Insula Balthia.

§. V.

De Balthia Insula, Abala, & Sambia seu Samia.

Balthia pro Scandinavia habita.

Balthia Basilea.

BAlthia celebratur Insula vel potiùs Peninsula, à Græcis eadem cum Insula Scanzia seu Scandinavia habita, ita *Hartknoch*, [q] malè tamen Codanonia vocata. Hæc Insula audiit *Basilea*, quamvis Hartknochius citatus neget Balthiam esse Codanoniam, Basileam & Samlandiam dicendam. Sed magis arridet nobis *Hugonis Grotii* sententia, sed imprimis veterum, unde verus hujus quæstionis status peti debet, consensus. Quam enim Insulam Pytheas Basileam vocat, illam dicunt Xenophon & Lampsacenus Balthiam. [r] Conjectura mea est, pro Balthia Basileam esse scriptum vitio seu *errore* librariorum: vel si hoc non admittendum, Græcos vocabulo hoc voluisse, *Venedorum* seu ut aliis placet Venedarum (quæ vox à Panas, ut suprà ostensum, descendit, denotatque Dominum, Regulum, Herulum,) terram indigitare, adeoque Basilea erit quasi terra Regulorum, Herulorum. &c. Ita sentit *Ernestus Dietzelius* Paroch. Walterkehm. vir raræ eruditionis. Hanc Insulam gignere vel potiùs ad ejus littora repertum fuisse, Succinum, multis annis ante Christum natum *Timæus* tradidit. Idem asserit *Diodorus Siculus*. [s] Primus omnium, ut suprà dixi, *Helmoldus* id mare dixit Balthicum, quod prius *Radevico* [t] *mare Scythicum* audit. Notandum verò est *Balthiam* esse nomen merè Prussicum, quod est originis Sarmaticæ: denotat enim *terram albam* habetque primitivum suum à *bala*, quod *albescere* significat. inde *Abala albescit*; & *Baltus*, adjectivum, *albus* Latinis. Polonis, *biala*, Russis *bielo*. Et certè Balthiam à Vete-

Ernesti Dietzelii Sensus.

Balthia Succinifera.

Mare Balthicum, Mare Scythicum.

Balthiæ nomen Prussicum, unde derivandum?

[n] lib. 4. c. 13. [o] c. 12. [p] lib. 5. [q] lib. 1. part. 1. in Alt und Neu Preussen. [r] Plin. lib. 37. c. 2. [s] lib. 5. Biblioth. [t] lib. 1. de Reb. Gest. Fried. Barb. Imper. Rom. c. 1.

Veteribus dictam fuisse *Abalam* suadet testimonium Plinii, apud quem Pytheas refert, ab Germanica gente accoli Æstuarium Oceani, *Mentonomon*, nomine, *spatio stadiorum 6000*. Ab hoc diei navigatione Insulam abesse Abalam; illòve fluctibus advehi succinum, atque incolas proximis Teutonibus vendere. Pytheæ subscripsit Timæus, hancque Insulam vocavit *Abalam* i. e. *Albam Terram*, quæ est Balthia. Est autem Abala Insula, ipsa Samia vel Sambia, quæ Insula olim credita est, quòd aquis undique circumcincta sit. Hinc *Balthico* mari, illinc Lacubus *Recenti* & *Curonico*, insuper fluviis *Pregela* & *Demme*, tandem fossa navigabili. Ora profectò celeberrima, largissima mater succini purissimi. Ex his deduco nomen maris Balthici, aut potiùs comprobo, quod suprà dixeram, non aliunde scil. fluxisse, quàm ab Insula vel Peninsula Balthia, quæ est Abala, nunc *Sambia*, sive ab incolis oræ hujus, dictis, *Balthicis*. Et certè probabilissimum mihi id videtur ita enim sinus *Finnicus* à Finlandia vel Finlandis, *Bothnicus* à Bothnia; *Norwegicum* mare à Norwegis, *Germanicum* à Germanis &c. dictum est. Scilicet Mari nomen à terra quam alluit, ejusque incolis, plerumque nomen venit. Unde autem Samiæ vel Sambiæ, Balthiæ nomen venerit, quæret non nemo? Antiquissimi Prussiæ Historici, imprimis *Jerossin*, *Grunaw*, & *Henneberg*, præter alios, referunt *Prussiam*, olim in quatuor divisam fuisse partes; scil. in *Terram Albam*, *Superiorem*, *Inferiorem*, *Posteriorem*, i. e. German. **daß weisse Land** / (vel prout habetur in antiquissimis codicibus, **dat witte Land** /) **daß Oberland** / **Niederland** / **Hinterland**. Quæ distinctio usque hodie in usu est. Ex his terrarum Prussiæ divisionibus *Samblandia* propriè dicta est *Balthia* i. e. *alba* terra. Inde *Sami* dicti sunt *Baltikkei* atque etiamnum dicuntur ii, qui hanc albam terram incolunt. Exinde Samia Balthia; vicinumque Mare, Balthicum. Quare verò Samia dicta sit terra alba, puto ego ab arenis nomen id antiquitùs contraxisse; non solùm enim littora Insulæ arenosa, sed & montes Insulæ contigui similiter arenosi longè latèque albicant à nativo arenæ siccioris colore; hinc toti terræ tractui nomen.

Abala Insf. *Mentonomon.* *Abala est Samia.* *Balthici populi.* *Samia Balthia dicta?* *Unde Samia alba terra?*

§. VI.

De Insulâ Glessariâ.

PLinius [u] Insulam *Glessariam* à Barbaris *Austraneam* & *Actaneam*, itemque *Fabariam* dictam, ad *littora Cimbrica* inveniri scribit, vocatque illam *Burchanam*. *Straboni* [x] eadem est *Burganis*, *Stephano*, *Burkanis*. Meminit illius *Solinus*, locatque eam in Mari Germanico, non in Balthico, quod tunc *Svevicum* dicebatur. Hartknoch insulam hanc putat esse Insulam *Strant* dictam, quæ Slesvicensi adjacet Ducatui: Burchanam verò putat esse insulam *Borchen* ad ostia amnis *Amesiæ* sitam; probatque id ex *Veturio*, quem citat Cluverius. Scribit is in hac Insula Borchen reperiri *turrim*, cui vulgare nomen *Boonhuys*, i. e. Domus Fabaria. *Grotius* Glessariæ nomine, Samiam intelligit & in-

Glessaria Insf. variè audit. *An sit Strant-Insula?* *An sit Borcheu Insula?*

T

[u] lib. 4. c. 13. & lib. 37. c. 3. [x] lib. 7.

& intelligendum putat; cum quo tamen rectiùs informati dicimus: Veram Glessariam non nisi ad litora Prussica, inque sinu Venedico inveniri, malèque Burcanæ Insulæ continentem appellatam esse, multò minùs cum Burcana eandem esse; quippe nunquam in Burcanâ seu Borchen Insulâ Succinum repertum fuit: ultra quam tamen Insulam, Germanicum Cæsarem non fuisse progressum, communis Auctorum sensus est. Aliàs si prædictus Imperator ad insulam veram Succinariam appulisset, consequens foret, illum ad Venedas usque penetrâsse, atque huc in nostras appulisse oras: Mare item Balthicum, quà Prussiam alluit, antiquitùs etiam *Cimbricum* vocatum fuisse, quæ tamen num probabilia sint? Lectoris accurato judicio committimus.

Germanicus Cæsar ad Venedas non est progressus.

§. VII.

De AEstuario Oceani Mentonomo.

Mentonomon Æstuarium?

An sit Lacus Recens?

Quodnam sit Æstuarium Septentrionalis Oceani *Mentonomon* dictum, non satis inter se conveniunt Eruditi. *Hartknochius* [y] per istud Æstuarium intelligit Lacum recentem Prussiæ, vulgò: Frisch Haff dictum, eumque à populis ibi accolis talem obtinuisse denominationem putat fortè à pago Medenaw, qui, olim districtus, attigit Lacum Frisch Haff. Hanc conjecturam hausit ille ex *Micrælio*; [z] in qua tamen re non benè sibi constare videtur, quia Mentonomon dicitur spatium in se continere. VI. M. Stadiorum, quantum in se spatium non continet lacus Prussiæ recens, i. e. Frisch Haff. *Pytheas* quoque asserit *tantùm diei navigatione distare Abalam Insulam* Succini feracem. Sanè Lacus ille recens, neque esse Mentonomon, neque dici potest, neque derivari in nomine à pago *Medenaw*; Pagus enim Mediterraneus vix milliari distat à lacu aversus: Mentonomon autem diei navigatione abest ab Abala seu Glessaria Succini Parente. At verò lacus recens ambit à meridie ipsam Insulam Succiniferam ipsumque Medenaw est in ipsâ insulâ. Ipsa vox Medenaw, à quo Mentonomi appellatio descendere dicitur, aliud probat; denotat enim Silvam vel arboretum: derivatur namque à primitivo *Medis*, quod verbum in Lingva Prussica, Lietvanica, Samogetica, &c. lignum vel arborem designat. Hinc *medinnis* adjectivum, silvestris dicitur: pagus ergo ille ideo Medenaw dictus est, quod inter silvas situs fuerit, quarum reliquiæ non contemnendæ adhuc supersunt. Quid? quòd Insula Abala non alia sit, quàm Samia, de qua suprà. Sentio ego, locum lacui Mentonomoni non alium magis congruum & proprium assignari posse, quàm lacum Curonicum, aliàs daß Curische Haff dictum, in Mare Balthicum se exonerans prope Memelam. Ab hoc lacu, imò ostio lacus tantùm diei navigatione itur, & nos sæpius ivimus in hanc Insulam Succini Dominam, quæ hodie Samia est. Quin etiam ipse Lacus usque hodie lingvâ patriâ dicitur *Niomon*, abjectis primis syllabis *mento*. Solet enim vulgus verba contrahere, aut breviare, ut citiùs vel commodiùs eloquatur. Aut certè peregrini navigiis

An sit medenaw?

Unde Mentonomoni derivatio?

y In Differt. Antiq. 2. p. 35. z lib. 1. Chron. Pom. n. 6.

giis delati in *Nerias* ad comparandas merces, potissimùm verò succinum; ubi ad ostium Niomonis venerunt, quæsiverunt de nomine Lacus: sed primis non contenti responsis, cùm otiosam reiterarent quæstionem, adjecerunt *Mento Niomon*, i. e. *certè est* Niomon. Jam verò quòd idem lacus dicatur Æstuarium: puto ego, denominationem hanc ortam esse ex nimia exundatione Maris & fluvii *Memel*, seu Mümmel, qui Prussis, Lietvanis & Polonis usitato audit vocabulo, *Niomon*. Et hæc de *nomine* Mentonomon Æstuarii. Quantùm ad *rem*: Videbitur plerisque non esse hoc Æstuarium Lacus Curonicus: non enim 6. millia stadiorum in se continet, quantum spatium requirit Pytheas Plinianus, & in Æstuario illo assignat. Verùm probabile mihi videtur, quod & Hartknochio visum, Librariorum negligentia irrepsisse errorem in hunc Plinii locum, ut pro ἑξακισίων scripserint ἑξαχιλίων, i. e. *sex millia* pro *sexcentis*. Addo, quod si quis per *Cubum* sive *Quadrum*, aut in peripheria Lacum hunc sive Æstuarium metiatur, eaque loca omnia, in quæ ille exundare solet, scilicet ab ostio, quod est ad Memelam civitatem, ad usque Tilse Ragnet & ultra, item illa loca, quæ quotannis exundant *Schaltek*, *VVippe*, &c. computet, variosque, quibus excurrit anfractus addat, facilè inveniet requisitum à Pythea spatium, sex scil. stadiorum millia.

Mentonomon est Lacus Curonicus Prussiæ.

An contineat in se 6. millia stadiorum.

§. IIX.

De AEstiis, eorum Nomine, situ, & potentiâ:

EQuidem Tacitus, [a] & Solinus Æstios ad *Germanos* referunt: eosdem iterum Tacitus refert ad *Sveones* his verbis: *Ergo jam dextro Svevici Maris litore Æstiorum gentes alluuntur*; nihilominus aut Venedos fuisse, aut proximos Venedorum vicinos, constat ex eodem Tacito, aliisque non parvi nominis Auctoribus. Præter id enim, quòd illos Tacitus ad Svevici Maris litora reponat, etiam *Succini collectores* facit. Idem testatur *Cassiodorus*. *Eginhardus* Vistulæ ripam attigisse dicit. Quare non audiendus Jornandes, ab iis diversus, qui Æstios à Vistula diversos faciens: *Ad littus*, inquit, *Oceani*, *ubi tribus faucibus fluenta Vistulæ fluv. ebibuntur*, *Vidiarii resident*, *post quos ripam Oceani Æstii tenent*, *pacatum hominum genus omninò*. Neque audiendus Cluverius, qui *Æstios à Gothis diversos* facit, putatque illos descendere ab *Isthævonibus* Rheni accolis, quos aliàs Æstiæos appellare contendit. Sed non possunt non ad Gothos referri Prussiæ populi, cùm antiquissima fuerit Gothorum Prussia. Quis autem negaverit Æstios collectores Succini, fuisse Prussiæ incolas? quis tantæ auctoritati, quam adduximus, & infrà adducemus contravenerit? Certè usque adhuc Æstiorum coloniæ in Livonia manent, in Provincia Estoniæ, quod ipsa etiam denominatio ostendit.

Æstii Tacito sunt Germani.

Sunt Succini collectores.

Æstii ad Vistulam.

Æstii non descendunt ab Isthævonibus.

Æstii sunt Gothi.

Estonia in Livonia.

Nomen Gentis variat. Hi enim, qui Tacito sunt *Æstii*, aliis dicuntur *Æsti* & *Hæsti*. Eginhardo *Aisti*; Cluverio *Æstiæ*: ut paulò suprà diximus. Neque solum nomen, sed ejus quoque derivatio variat.

Nomen Æstiorum variat & derivatio nominis.

[a] De Mor. Germ. c. 13.

riat. Quidam è Græcia aſſumunt hanc derivationem; ſcil. à Græcis vocibus ἄιςος, quod eſt *ignotus*; vel αἰςῶ, quod eſt *deſtruo*. Aliis derivari placet ab *Iſtro* fluvio, quem inter Gothica fluenta, principalem habuerunt: ad Gothos autem ſemper Æſtii ſeſe referebant. Hugo Grotius ex eo Aeſtios ita vocatos ait, quod *Solem orientem* ſpectare in more habuerint. Confirmat id authoritate *Saxonis Grammatici*, & voce Anglorum, quibus Orientalis Saxonia dicitur *Æſt-Saxonia*. Adjicit Hartknoch, quòd etiam Pruſſi ab iisdem Anglis vocentur *Æſterlingi*, i. e. ad *Orientem Solem* ſiti. Tandem nonnullis placet ab *Iſtrorum* gente denominationem hanc petere: quorum originem à *Colchis* Juſtinus [b] deducit. In his unicuique ſuo abundare ſenſu liberum eſt.

Situs Æſtiorum. Cluverius [c] hos Æſtiorum genti ſtatuit limites. Ab oriente „ primùm eosdem ponit, quibus Livonia ab oriente finitur, ad amnem „ usque Lietaviæ *ſacrum*, qui vulgari vocabulo *Swieta Rzeka*, infra „ Vilnam urbem in *Viliam* flumen incidit; inde ipſum Viliam, & mox „ adverſum Memelium, ad confluentem usque Nemenii; hinc per li- „ neam ad confluentem usque amnis, qui infra Mazoviæ oppidum „ *Nur-Bugi* miſcetur. Hinc ab Auſtro, quà Gothones fuêre proxi- „ mi eundem Viſtulam, & ubi is in cornua ſcinditur, alveum ejus ma- „ ximè orientalem; cujus oſtium primum in lacum apud *Elbingam* „ oppidum: Dein verò una cum lacu apud Balgam oppidum in ma- „ re Svevicum exit. Hinc ipſum mare ad oſtium usque Narvæ amnis „ extremum Livoniæ verſus ſeptentrionis terminum. Ex his patet, quas terras Æſtiis tribuat Auctor ſcil. Livoniam, Pruſſiam, Samogethiam, partem Livoniæ, Maſoviæque. Ferè eosdem limites, quantumvis ampliores habuit *Imperium Pruſſo-kriweanum* ſeu ſummi Pruſſorum Sacerdotis, in ingreſſu Ordinis Teutonici de quo in Delic. meis Antiq. Pruſſ. fuſiùs.

Potentia Æſtiorum. *Præpotentem* ſcribit Tacitus, fuiſſe Æſtiorum gentem, multosque imperio ſuo continuiſſe populos. Certè non contemnenda videtur eorum potentia, cum ad *Theodoricum* Gothorum Regem in Italia potentiſſimum legatos cùm muneribus (Succinum erat elaboratum arte,) ſolius amicitiæ protelandæ gratiâ miſerint; ab eoque id reſponſum per eosdem legatos acceperint; cujus tenor

Literæ Theodorici Reg. Goth. ad Æſtios. talis eſt: *Hæſtis Theodoricus Rex: Illo & illo, Legatis veſtris venientibus grande vos ſtudium notitiæ noſtræ habuiſſe cognovimus, ut in Oceani litore conſtituti, cum noſtrâ mente jungamini. Svavis nobis admodùm grata petitio, ut ad vos perveniret fama noſtra, ad quos nulla potuimus deſtinare mandata. Amate jam cognitum, quem requiſiviſtis ambientes ignotum.* ----- *Et ideo ſalutatione vos affectuoſa requirentes, indicamus Succina, quæ à vobis per horum portitores dicta ſunt, grato animo fuiſſe ſuſcepta: quæ ad vos Oceani unda deſcendens, hanc leviſſimam ſubſtantiam, ſicut & veſtrorum relatio continebat, exportat. Sed unde veniat, incognitum vos habere dixerunt; quam ante omnes homines patria veſtra offerente ſuſcipitis.* &c. Apud Caſſiod. [d] Confirmantur hinc paulò antè dicta de Æſtiorum ſitu, ubi inter limites illorum Pruſſiam recenſuimus; nusquam

b lib. 32. c lib. 3. Ant. G. c. 46. d lib. 5. Var. Epiſt. 2.

quam enim ſuccinum reperitur, quàm in ſola Pruſſia· Expreſſiùs *Eginhardus* [e] rem loquitur, firmatque, dum Æſtios ad Auſtrale litus ſinûs Codani cum *Antibus* & *Slavis* collocat.

§. IX.

De Scyrris & Hirris AEſtiorum populis.

PLinius [f] Æſtiorum gentem partitur in *Scyrros & Hirros.* Scyrrorum nomen apud AA. variat. Plinio namque & Sozimo ſunt *Scyrri*, Jornandi *Sciri*, aliis *Scyri*, &c. Neque in derivatione nominis AA. conveniunt, Sunt qui *Scyros* ab Inſulâ Adriæ, *Scyrus* dicta, cujus Nicolaus lib. 5. Apud Cæl. Rhodig. an olim à *Pelasgis & Caribus* habitata an occupata? nominatos putant. Alii à *Scyrus* Arcadiæ urbe an Provincia? prope Parrhaſios, cujus incolæ *Sciritæ* dicti, dictos volunt. Fuit & celebris quondam nobilis *Heros*, *Scyrus* nomine, cujus locus *Scyron* in Attica olim notatus, communis fuit Sacerdotibus à *Bute* ſacerdote quodam propagatis: Hi umbellam albam in honorem Palladis & Solis ferre ſoliti erant. Agit de his Cæl. Rhod. lib. 14. c. 13. Lazius Scyros vult eſſe *Styrios* prope Auſtriam: contenditque eo probare argumento, quòd Græcis Latinisque ſolenne ſit literas commutare: unde in prædicto nomine *c* vel *k* in *t* mutatum eſt; adeo pro Scyri Styrii dicti ſunt. Nonnulli è Græco nomen illud deducunt, à voce Skíros. Sorditiem ea Græcis denotat, ſcil. ſordidam populorum barbariem eo nomine exprimere voluerunt. Sed Scyri Æſtiorum populus, non Adriatici maris inſulani, non Atticæ aut alicujus Græcorum terræ incolæ, ſed Gotho-Sarmatæ fuêre. Ab iis etiam deſumpta vox, ab iisdem derivanda eſt: neque enim Græcia, vel ulla illius Inſula aut Regio, etiam finitima Æſtiis fuit. Non abſona videtur Amici mei ſingularis E. Dietzelii derivatio, qui nomen hoc à Skyru, Samogethica voce, quæ ſeparatum ſignificat, deducit. Hoc vocabulo Inſulares vocari ſolent, quaſi ab aliis mediante aqua *ſeparati.* Videtur aliis corruptum eſſe nomen à Curis ſive Curonibus, qui hodie Curlandi audiunt, eò quòd Romanis frequentiſſimum fuerit, non ſolùm commutare literas ſed & adjicere; unde pro Curis vel Cyris Scyros dixerunt. Hæc quidem derivatio ſpecioſa ſatis ac quadam niti probabilitate videtur: non placet tamen ex eo, quòd in antiquis hiſtoriis non Curland vel Cyrland, ſed *Caur-land* legamus. Curoniaque olim Kauronia dicta ſit, videturque nomen id deductum à *Kauras*, veteri voce Pruſſica ac Livonica, planitiem denotante. Hinc *Kaurones* qui in planitie vivunt. Et talis de facto eſt terra Curlandiæ, plana ſcilicet. Liberum equidem in his eſt, ſentire cuique pro placito: Mihi certè prior arridet ſenſus & derivatio nominis. Quare Scyrris convenientem locum aſſignare poſſumus, Inſulas nempe Zalavonicas in Pruſſia, cujus incolæ plurimùm *Skyru*, i. e. ſeparatim degunt vivuntque. Sed de loco terrisque Scyrorum ampliùs agendum eſt.

Æſtii dividuntur in Scyrros & Hirros.

Scyrrorum nomen variat.

Derivatio nominis Scyri.

An Scyri ſint Styrii?

U Pli-

e In Vita Caroli M. f lib. 4. c. 13.

Enningia Scyrorum.

An Venningia?

An Prussia?

Prussia Owim an dicta?

Plinius c. l. Scyris assignat regionem *Enningiam*: quæ qualis & ubinam sit non explicat. E. Dietzelius legit *Venningiam*, scil. terram Vinarum ad Vistulam, qua ratione istis, vi prioris derivationis assignandæ forent Insulæ ad Vistulam. Cluverius Prussiam iis tribuit, putatque regionem illorum, etiam *Ovim* dictam esse. De *Ovim* aliàs ita Jornandes c. l. *Pervenit*, inquit, *ad Scythicas terras, quæ lingua eorum* Ovim *vocabantur; illicò ad gentem Spalorum adveniunt*. Ratio Cluverii hæc ferè esse videtur, quod apud Saxones terra Prussorum *Oven* vocetur. Sed, licet annis aliquot in utrâque vixerim Saxoniâ, non memini me unquam & usquam ita Prussiam vocatam fuisse, cujus tamen mentio sæpiùs facta fuit. Equidem plurimorum opinio est, septentrionalem plagam, quasi in altum ascendere: unde cùm Prussia magis ad septentrionem vergat, quàm Saxonia, putant iidem, Prussiam in altiori loco consistere, atque ideo dici *Owen*, i. e. superiorem terram, scil. ad Septentrionem sitam, quod non Prussiæ tantùm, sed & cæteris Borealibus terris tribuitur. Aliter sentit Paulus Diaconus de terris Scyrorum: quos confines facit extremæ *Pannoniæ*; unde cum *Herulis* Duce *Odsacre* in Italiam properârunt. Meminit expeditionis hujus *Procopius* in Vita Zenon. & *Otto Frisingens.* [g] *Procopius* init. lib. I. Gothicæ Genti tribuit: dicit enim, quòd sub Augustulo Imperatore Occidentis, Zenone Orientis, Romani, *Scyros Alanos & similes hujusmodi Gothicæ originis gentes* in societatem adsciverint. *Otto Frisingens.* c. l. & Paulus *Diaconus*, *Herulis & Turcelingis* adjungunt Scyros, *Sozimus*, *Hunnis* eos admiscet. Certum verò est, Scyros Gothis potissimùm conjunctos, insignes perfecisse expeditiones. Varia tamen in bellis gens fuit. Jam his, jam illis se adjunxit, à Gothis descivit & *Svevis* se admiscuit; & dum Gothis damna intulit, plura retulit ab iisdem: nam *Jornandis* [b] testimonio, tota ferè ab iis deleta est regio Scyrorum. Dein verò, cùm se viresque recollegissent, associati *Gepidis*, Gothos fortiter represserunt; sed tandem labascentibus animis, viribusque in Gothos abiêre.

Situs Scyrorum an in Pannonia?

Scyri socii Romanorum & aliorum.

Scyri in Gothos abiêre.

Regum Scyrorum Catalogus.

Regum Scyrorum Catalogum, exiguum offerunt Historici, quos legere notareque potui. Celebres è Regibus sunt, 1. *Vinullis*, quem alii faciunt *Vinulphum*, floruit is sub *Attila* & *Balambero* Hunnorum Regibus. Dein *Vulphis* & *Ediccas*, qui cum Gothis & Svevis bella gesserunt. De his plerumque Wolfg. Laz. lib. 12. p. m. 812.

Hirri.

Unde nomen?

Hirri sunt Scyrorum servi.

De *Hirris* illud notabile est, quòd solus Plinius eorum meminerit. De nomine illorum non est integrum, certi aliquid statuere. Derivatio tamen illius, si modò per doctiores liceret, fieret per me, à Prussico vocabulo *Irru*, quod & *errare* significat & *remigem agere*. Inde *Irreji* sunt *remiges*, *Plinius* Scyris Hirros adjungit. Cluverius per illos, Livones intelligit. Mihi videntur Scyrorum servi fuisse: peculiarem enim populum, certisque constitutum legibus extitisse, haud est probabile ex eo, quòd nullus Historicorum alius præter *Plinium*, illorum meminerit: cùm tamen tot antiqui Auctores, ut sunt. *Suidas*, *Pomponius Lætus*, *Procopius*, *Paulus Diaconus*, *Sozimus*, & cæteri de Scyris ex-

g lib. 4. Chr. c. 30. b lib. 1. Hist. Goth.

expresse agant. *Hermannides* in suâ Daniâ facit Hirros, Insulæ *Heiland* incolas: mox verò illos in *Livonia* reponit ad *Duinam* fluvium.

Sensus Hermannid. de Hirris.

CAPUT VII.

De Gotho-Scythis.

SIVE

De Gothorum sede in Scythia.

Gothi Scythæ.

GOthos Scytharum nomine venisse Veteribus, suadet eorundem Auctoritas. Quos enim Trebellius Pollio *Gothos*, qui ab Oriente in Italiam venerunt, hos Paulus Diaconus *Scythas* vocat & *Sarmatas*: quos verò hic Scythas & Sarmatas, eos Sozomenus appellat Gothos. Ita testantur Eusebius in Vita Constantini M. Baron. ad Ann. 316. Ita & Hunni, qui pars fuêre Gothorum, dicebantur Scythæ Sozomeno teste. Idem patet ex Nicephoro Callist. [a] cui iidem sunt Scythæ & Gothi: quare & Theodoricus nominatissimus Gothorum Rex dicitur illi Rex Scytharum. Præclare de his Joachimus *Pastorius* [b] in Vita Theodosii M. dignus tanto Heroe Scriptor, quem ne calamo dimittamus, placet hìc sensum illius proponere, ab erudita desumptum vetustate; ut sic Auctoritatem Veterum, Recentiorum Auctoritate comprobemus. Ita ille c. l. *Antiquissima*, inquit, *omnium consensu*, *Gothica natio est*, *primis seculis cum communi Scytharum appellatione innotuit*, *quæ latè olim patens*, *ut alias plures gentes septentrionales*, *ita Germanos & simul Sarmatas videtur complexa.* Nimiam istam Scythiæ extensionem potissimùm Græcis debemus, qui *omne id*, *quicquid versus septentrionem*, *ultra Emaum*, *Emodumq; montem*, *Mare Caspium*, *caucasia juga*, *Pontum Euxinum*, *Istrum amnem & Alpes*, *Mareq; Internum* situm est, uno nomine *Scythiam* appellârunt; cætera *Æthiopiam.* [c] Brevibus complexus est Plinius [d] Scythici nominis amplitudinem, dum generalibus usus terminis, Scythas inquit, à priscis appellari omnes, *qui extremi gentium*, *ignoti propè cæteris mortalibus degunt.* Et quamvis hoc nomine sæpius Græci, Romanique usi sint, quod suprà ostendi, apud Græcos diutius duravit; nam apud Latinos in quibusdam populis desiit, unde hanc Scytharum appellationem de nonnullis gentibus *priscam* vocat Plinius c. l.

Situs Scythiæ.

Scythæ qui Plinio?

§. I.

De Nomine Scytharum.

Scythæ Nomen antiqvum.

SCytharum nomen, inter cæterarum nomina gentium perantiqvum sanè videtur esse, neque integrum est asserere, quo primùm tempore datum sit iis populis vel ab iis acceptum. Ego cum ipsa gente natum fuisse arbitror: ideoque eam illi ætatem tribuo, quæ gen-

[a] lib. 18. c. 8. [b] Cap. 9. in Vita Theod. [c] Vid. Cluv. lib. I. Germ. Ant. c. 3. [d] Plin. lib. 4. c. 12.

Scythæ gens antiquissima.

genti tribuitur. Justinus [e] antiquissimam semper habitam esse dicit. Num autem seipsos eo nomine, tanquam proprio insigniverint, an ab aliis insigniti fuerint, Scythæ, non facilè dici potest. Græcis equidem in usu fuit, à variis rerum argumentis sæpiùs denominare gentes, quæ tamen suas proprias ac domi natas habuerunt denominationes. Ita Græci Scythas appellârunt eos, qui sibi ipsis erant & vocabantur *Scoloti*, teste Herodoto. [f] Ita quoque Africæ populi, qui *Numidæ* Romanis audiêrunt, Græcis *Nomades* venerunt; dicti, ut arbitror, ἀπὸ τοῦ νεμεῖν; scil. à permutandis pabulis. Huc pertinent *Sceptruchi*, *Antropophagi*, *Lotophagi*, *Troglodytæ*, *Agathyrsi*, *Amazones*; aliique permulti populi à rerum argumentis sic denominati.

Derivatio nominis Scythici.

Num vero Scythia a Σκύτη i. e. *Scutica*, num à σκύθος i. e. *Scyphus*, Græcis dicta sit, non ausim dicere. Vid. Cæl. Rhod. [g] Num etiam ex propriâ Gothorum seu Sarmatarum lingvâ nomen hoc venerit, non est meum decernere. Habet equidem Lingva Sarmatica verborum satis, quibus ad id nominis alludi facilè potest, non sine convenientiâ rei, quam nomen exprimit. Ita vox *Szyti* Prussica, pro quâ Nadravi juxta præsentem dialectum *Szanti* dicunt, i. e. *jaculari*, dedisse nomen Scythis poterat; quia poterat esse origo nominis populo, qui arte jaculandi præ aliis Europæ Asiæque populis præcelluit. Vel certè vox *Skyda*, i. e. *Clypeus*, quo etiam præter jacula Scythæ usi sunt. Quòd si Poloni Scytharum nomen è suo vellent idiomate derivare, possent consimiles reperire voces, in quibus Nomini convenienter alluderent. Sed misso lusu nominum; Certum est, nonnulla Provinciarum, quas vulgò *Hordas* dicunt, Nomina à Polonis indita esse. Ita *Budiacenses* Scythæ dicti sunt à tuguriis, quæ in desertis camporum mobilia habent, ut cum pecoribus mutare locum possint, si in eo pascua defecerint. Hæc tuguria Poloni vocant *Budi*. Ita *Precopenses*, à fossa nuncupati sunt, quæ per Campestria *Crimeæ* ducta ad derivandam è Ponto Euxino aquam, protenditur usque ad Paludem, quæ *Suka* mare dicitur ac Mœotidi conjungitur. Fossam *Perekop* Russi, Przekop Poloni dicunt. Similiter *Nahajenses*, & quidem ab eodem planè verbo, à quo Græci Scythas dixerunt, dicti scilicet à Scutica, quæ Polonis Russis *Nahaika* dicitur.

Sarmatæ Scythæ.

Ovidius.

Cum Scytharum nomine *Sarmatarum* nomen orbi innotuit: fere enim idem nomen erat populis, adeo ut & Sarmatæ Scythæ; & Scythæ Sarmatæ dicerentur. Testatur id Elegiacus Vates, Exul Pontanus in suis de Ponto libris, ubi Scythas Sarmatas vocitat: Cùm tamen diversas fuisse nationes, meritò opinetur Cluverius c. l. sed hæc nominum populorumque confusio donanda Veteribus est, quibus extremi gentium Scythæ ignoti fuêre; loquor cum Plinio. Herodotus [h] tamen distinctos ait fuisse Sarmatas à Scythis, Regiis, qui Basilides aliis, aliis Georgiani, sic dicti ab agricultura audiunt. Ex hactenus propositis, deduco; cùm Scytharum nomen Sarmatis Gothisque tributum sit, etiam gentis nostræ populos, Polonos scil. Russos, Prussos, Liethvanos, Samogethas ceu veram Gothorum prolem pro Scythis olim fuis-

e lib. 2 f lib. 4. g lib. 27. c. 27. h lib. 4.

fuisse habitos; prout universæ gentes *Hercyniam* silvam accolentes (cujus majores reliquias Polonæ Provinciæ adhuc retinent;) habebantur. Unde omnem Scythiæ populum processisse sentit Plinius [i] ita inquiens: *Ab hoc.* i. e. Hercynio saltu *in plenum quidem omnes Scytharum gentes sunt; variè tamen littori apposita tenuêre; aliàs Getæ, Daci, Romanis dicti, aliàs Sarmatæ.* *Hercyniæ sylvæ accolæ Scythæ.*

§. II.

De Antiquitate Scytharum.

Antiquitatem genti Scythicæ, omnes ferè tribuunt AA. nominatim *Justinus* c. l., qui omnium sensu & ore videtur loqui, quòd antiquissimi semper Scythæ habiti sint. Idem sub Ingenii commento præponit antiquitatem illorum, *Ægyptiorum* antiquitati: fingit ille contentionem aliquando inter Scythas & Ægyptios exortam de generis vetustate fuisse, diuque agitatam, Ægyptiis eam sibi vendicantibus; quibus tandem superatis, antiquitas Scythis adjudicata est. Juvat ex ipso fonte haurire aquam. Ita rem Auctor citatus narrat. *Scythæ antiquiores Ægyptiis.* *Ægyptiis prædicantibus initio rerum, cùm aliæ terræ nimio fervore solis arderent, aliæ rigerent frigoris immanitate, ut non modò primæ generare homines, sed ne advenas quidem recipere ac tueri possent, priusquam adversus calorem vel frigus velamenta corporis invenirentur, vel locorum vitia quæsitis arte remediis mollirentur. Ægyptum ita temperatam semper fuisse, ut neq; hyberna frigora, nec æstivi solis ardores incolas ejus premerent: solum ita fœcundum, ut alimentorum in usum hominum nulla terra feracior fuerit. Jure igitur ibi primùm homines natos videri debere, ubi educari facillimè possent. Contra Scythæ cæli temperamentum nullum esse vetustatis argumentum putabant: Quippe naturam cum primùm incrementa caloris ac frigoris distinxit, statim ad locorum patientiam, animalia quoq; generâsse, sed & arborum & frugum pro regionum conditione aptè genera vitiata. Et quantò Scythis cælum sit asperius, quàm Ægyptiis, tantò & corpora & ingenia esse duriora. Cæterùm si mundi, quæ nunc partes sunt, aliquando unitas fuit; sive illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit; sive ignis, qui & mundum genuit, cuncta possedit, utriusq; primordii Scythas origine præstare. Nam si ignis prima possessio rerum fuit, qui paulatim extinctus sedem terris dedit; nullam priùs, quàm septentrionalem partem, hyemis rigore ab igne secretam; ut & nunc quoq; nulla magis rigeat frigoribus. Ægyptum verò, & totum Orientem tardissimè temperatum; quippe qui etiam nunc torrenti calore solis exæstuet. Quod si omnes quondam terræ submersæ profundo fuerint; profectò editissimam quamq; partem decurrentibus aquis primùm detectam; humillimo autem solo eandem aquam diutissimè immoratam. Et quantò prior quæq; pars terrarum siccata sit, tantò priùs animalia generare cæpisse. Porro Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, ut cuncta flumina ibi nata in Mæotim, tum deinde in Ponticum & Ægyptium mare decurrant. Ægyptum autem, quæ tot Regum, tot seculorum curâ impensâq; munita sit, & adversum vim incur-*

i lib. 4. c. 12.

rentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis conscissa, ut cum his arceantur, illis recipiantur aquæ. Nihilominus coli, nisi excluso Nilo non potuerit, non posse videri hominum vetustate ultimam, quæ sive ex aggerationibus Regum, sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur. His igitur argumentis, superatis Ægyptiis antiquiores Scythæ visi.

§. III.

De Origine sive de primo Auctore gentis Scythicæ.

Scytharum Origo.

QUæ Scytharum origo, quisve primus illorum Auctor, Satorve gentis fuerit, apud Scriptores obscurissimum est. Herodotus [k] 1. refert Scythas à quodam *Targithæo Jovis* Filio & *Boristenis* Filia exstitisse, quibus *Lipoxa* filius erat, Parens Scytharum omnium. Græ- 2. ci qui Pontum incolunt aliam narrant fabulam. Nimirum *Herculem* vaccas *Gerionis* agentem, in terram, quam Scythæ deinde habuerunt, venisse: Ibidem invenisse *Virginem*, ancipitis naturæ, *humanæ* scil. & *serpentinæ*; femoretenus fœminam, inferiùs viperam; cum illâ concubuisse ac tres filios genuisse, quorum primo, *Agathyrsis*, secundo, *Gelonis*, tertio *Scythæ* nomen dederat. Ab hoc Scythas omnes descendisse asserunt, qui deinde terram *Cimmeriorum*, quæ *Bosphoro* adjacet, occupârunt, atque in memoriam doni, quod Virgo hæc obtinuit ab Hercule, nimirum *baltheum* cum *phiala* multis post annis gestârunt. [l] Sed missis fabulis, illud notatu dignum venit, quod Berosus [m] tradit, *Tuisconem* quendam imperâsse à Tanai fiuvio ad usque Rhenum, & maximos multosque Sarmatiæ populos fundâsse: adeoque â Sarmatis & Scythis, *Cimbros*, *Francos*, *Gothos*, *Vandalos* descendisse. Vide *Laz.* [n] Idem Berosus *Chronicon* Scytharum allegat, in quo Scytha quidam dicitur fuisse *Araxa*, Parens *Napæ & Pruti*. Berosus. lib. 2.

Terra Cimmeriorum adjacens Bosphoro.

Sensus Berosi de Origine Scytharum.

Chronicon Scytharum.

§. IV.

De Proverbiis Scythicis.

Proverbia Scythica.

(1.) Scytham agere.

SCytharum *mores* ac *ingenia* ansam dedêre Græcis, multa efformandi *proverbia*. Tale est illud: *Scytham agere*, h. e. judice Rhodigino: [o] *ad lætiora pabula identidem demigrare.* Taxatur mos Scytharum, quem supra innui de *Budiacensibus*, transferendi se ab uno camporum spatio, ubi depastum gramen fuerit, ad aliud, ubi apta jumentis pascua videntur. Sunt enim Scythæ camporum incolæ; pecora alunt, quibus vitam sustentant, atque iis nova pascua quærunt, & ad reperta cum omni familia & suppellectili se conferunt. *Scythissare*, est quoque Græcorum dicterium, pro: *Inebriari.* Unde Græci, quem ad meracius bibendum invitabant, illud (referente Herodoto) insusurrare solebant: Ἐπισκύθισον. i. e. *Scytissato.* Notabatur hoc dicterio, nimio plus frequens Scytharum ebrietas, & quia robusti, naturâque fervidiores erant, vinosi crediti sunt: unde etiam ἀκρατοπότης, i. e. *meri-*

(2.) Scythissare.

Scythæ ebrietati dediti.

k lib. 4. l Herod. c. l. m lib. 5. Antiq. n lib. 11. o lib. 28. c. 33.

meribibi, ab iisdem Græcis vocati, ſicut & *Thraces* de quibus Cæl. Rhod. c. l. teſtatur, quòd tam viri quàm mulieres illorum ita bibant, ut etiam *vino veſtes perfundant*; Præclarum hoc & beatum vitæ genus exiſtimantes. Hinc nonnulli ſentiunt, à Scythis dictum eſſe populum *Scyphum* quaſi *Scython*. Plura de iis Cælius citatus; ſed & illud memorabile tradit ex *Maximo Tyrio*: Scythas quidem eſſe *hydropothas*, quod ſi ebrietatis voluptatem requirant, quandoque pyram conſtruere, in eamque herbas conjicere odoratas, ac mox circumſtare ac *odorem* velut crateris *haurientes* liquorem, *fieri ebrios*, quamobrem canere & ſaltare.

Thraces bibaces.

Scyphus à Scytha.

Ipſum nomen Scythæ, eodem teſtante Cælio, in diverbium abiit, & à multis acceptum, pro *inhumano*, *barbaro*: hinc idem fuit *Scytham eſſe* vel *agere*, quod *inconcinnè* dicere, *barbarè agere*. Tanta nimirum erat barbaries & immanitas gentis, ut ipſum *nomen* vapulaverit i. e. *barbarum & immane* audiêrit. Quare Æſchines in Oratione: *Obſecro, ut ſervetis me, neve logographo, maloq;* Scythæ *me tradatis*. Videatur Eraſmus. [p] *Scytharum* quoque *ſolitudo*, ingentem denotat ſolitudinem. Unde legati ad Alexandr. M. miſſi apud Curtium (lib. 7.) perorant: *Nos deſerta & humano cultu vacua magis quàm urbes & opulentos agros ſequimur*. *Athenæus* refert, Scythas cùm multis calamitatibus premerentur, per jocum luſumque omnibus, quibus imperabant, *populis detonſiſſe comam*. Unde cæteri raſuram ignominiæ ludibriique causâ factam, *Apoſcythismum* vocârunt. Scytha quoque pro *Sagittario* accipitur. *Tarentini* equites, arcum tenentes dicebantur Scythæ, qui tamen differebant ab iis, qui jaculis utebantur. Utrique Romanis dicti ſunt *Tarentini* Equites, teſte ſæpiùs citato Cælio, qui etiam alibi [q] Scythici ligni meminit, quod *Scytharion* appellat; ab aliis *tapſus* dictum, tum *Chryſoxylon*, unde mellino colore inficiuntur lanæ, flavique item fiunt capilli.

(3.) Scytham eſſe.

(4.) Scytharum ſolitudo.

Apoſcythiſmus quid?

Scytha Sagittarius.

Scytharion quid?

§. V.

De Scythico Mari & Inſulis.

CElebris ſatis apud AA. eſt *Oceanus Scythicus*, quà Scythiam in Aſiam perfundit, qui etiam nonnullis audit *Amalchium* ſeu *Congelatum Mare*; quà verò Europam verſus movetur, *Oceanus* audit *Sarmaticus*. De eo Cluverius. [r] Eſt & aliud *Mare Scythicum*, nonnullis *Venedicum* appellatum; alluens terras ſeptentrionales Venedicas, olimque ad Scythas relatas. Inde legimus *Balthiam* Inſulam, (quæ Timæo Baſilea dicitur, ſed per errorem ut puto, librariorum ſic ſcripta pro Balthia) vocatam eſſe à Pytheâ, Xenophonte, Lampſaceno & aliis: Scythiæ Inſulam, quòd ſit contra Scythiæ litora. Hoc Mare Scythicum Veteres extenderunt ad Gallias, Brittannias, Hiſpanias; imò & Illyrium, quæ Inſulæ ſeu peninſulæ Scythicæ olim audiêrunt. [ſ]

Oceanus Scythicus.

Audit nonnullis Mare Venedicum.

Scythia Inſula.

§. VI.

[p] In Chiliad. cent. 85. [q] lib. 18. c. 24. [r] lib. 3. c. 37. [ſ] Cluv. lib. 1. c. 3.

§. VI.

De Distinctione Scytharum sive Divisione in Asiaticos & Europaeos.

Scythæ alii Asiatici alii Europæi.

SIcut *Getas* ita & Scythas plurimi Scriptorum in *Asiaticos* dividunt & *Europæos*. Scythæ Asiatici, ut plurimum Græcis, Getæ, Europæi Gothi dicti sunt seculis potissimùm sequentibus. Distinctio hæc, mihi videtur ex eo orta esse, quòd Scythæ, qui primùm Græcis innotuêre, in ipsis Asiæ Europæque confiniis sedes suas fixerint: unde qui in Asiam suum protenderunt Imperium, Asiatici dicti sunt; qui in Europam, Europæi. Illorum terminos Justinus [t] describens ita inquit: *Scythia in Orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Riphæis: à tergo Asiâ & Phasi flumine. Multùm in longitudinem & latitudinem patet.* Idem de Asiaticis scribens, asserit, *quod Imperium Asiæ ter quæsierint, ipsi autem perpetuò ab alieno imperio aut intacti aut invicti manserint: Darium Regem Persarum turpi ab Scythiâ submoverint fugâ, Cyrum cum omni exercitu trucidaverint, Alexandri M. Ducem Sopyriona pari ratione cum copiis universis deleverint, Romanorum audiverint, non senserint arma, Parthicum & Bactrianum Imperium ipsi condiderint. Gens laboribus & bellis aspera: vires corporum immensæ: nihil parare, quod amittere timeant: nihil victores præter gloriam concupiscant.* &c. *Primus Scythis bellum indixit Vexoris* Rex Ægyptius, [u] missis primò lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythæ jam ante de adventu Regis à finitimis certiores facti, legatis respondent: tam opulenti populi Ducem stolidè adversum inopes occupâsse bellum, quod magis domi illi fuerit timendum: quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur non exspectaturos Scythas, dum ad se veniatur, cùm tantò sibi plura in hoste concupiscenda sint; ultroque prædæ ituros obviam. Nec dicta res morata: quos cùm tantâ celeritate venire Rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in regnum se recepit. Scythas ab Ægypto paludes prohibuêre: inde reversi Asiam perdomitam vectigalem fecêre, modicô tributô, magis in titulum Imperii, quàm in victoriæ præmium imposito. Quindecim annis pacandæ Asiæ immorati, uxorum flagitatione revocantur, per legatos denunciantibus, ni redeant, sobolem se ex finitimis quæsituras, nec passuras, ut in posteritatem Scytharum gens per fœminas intercidat. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit, pendendi tributi finem Ninus Rex Assyriorum imposuit. Vexoris hic putatur esse *Sesostris*, de quo tamen contrarium, plurimi iique graves auctores, ut *Herodotus*, *Dicearchus*, *Diodorus Siculus* asserunt; nimirum quòd ab eo Scythæ devicti sint. *Trogum* tamen secutus est *Valerius Flaccus*, qui lib. 5. de Scythis, quos *Getas* vocat, canit:

Unde hæc distinctio?

Scythici termini.

Bellum Scytharum cum Ægyptiis.

Vexoris Sesostris.

— tu

t lib. 2. c. 2. u Id. c. l.

--- --- ut prima Sesostris
Intulerit Rex bella Getis, ut clade suorum
Tertius, hos Thebas, patriumque reducat ad amnem,
Phasidos hos imponat agris, Colchosque vocari
Imperet. [x]

Alias Scytharum *Expeditiones*, nimirum contra *Codrum* Atheniensium Regem, contra *Darium & Cyrum*, Persarum Reges, contra *Parthos* &c. videre licet apud *Justinum*, *Herodotum* & alios. *Bella Scytharum contra Athenienses & Persas, Parthos &c.*

§. VII.

De Celtis & Celto-Scythis.

CUm veteres Græci potissimum diversum Scytharum genus à gente *Celtarum* intelligerent, *Celtas* vocârunt prope omnes terrarum *Europæ incolas*. Hinc Ptolomæus [y] universam Europam *Celto-Galatiam* fecit. Et Plinius [z] *Celtiæ terminos*, ad usque fluminis *Obii* ostium extendit. Horum sensu innumeri ad Celtas referendi forent, quorum magna pars *Gothi*, *Celto-Scythæ* cum cæteris dicti sunt. Quinque autem potissimùm gentes creditur Celtia complexa fuisse. Nimirum, *Hispanos*, *Gallos*, *Germanos*, *Britannos* atque *Illyrios*. Sub Germanorum nomine *Gothos* comprehensos docet Cluverius. Conferatur Lazius. [a] *Celtæ qui? Europa Celto-Galatia. Gothi Celto-Scythæ.*

§. IIX.

De Silvâ Hercyniâ, cujus accolæ Scythæ fuerunt.

SIlvæ sive *saltus Hercynii*, quanta fuerit *magnitudo*, patet ex Julio Cæsare. [b] Ita ille describit eum: *Hujus Hercyniæ silvæ, quæ suprà demonstrata est, latitudo IX. dierum iter expedito patet. Non enim aliter finiri potest, neq; mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum & Nemetum & Rauracorum finibus, rectaq; fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum Anartium: Hinc se flectit sinistrorsum, diversis à flumine regionibus: multarumq; gentium fines, propter magnitudinem attingit, neq; quisquam est hujus Germaniæ, qui se ad initium hujus silvæ audisse aut adisse dicat, cùm dierum iter sexaginta processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit.* Unde hæc silva non per totam modò *Germaniam* seu *Teutoniam*, sed etiam per *Poloniæ* Provincias, *Prussiam*, *Livoniam*, *Liethvaniam*, *Russiam* ad *Borysthenem* usque & *Tyram* protenditur, *Vistulam*, *Chronum*, & *Duinam* pertransiens, silvaque continua, aut continuus saltus videtur esse. Quare non miror Herodotum, *Borysthenitas*, i. e. fluvii Boristhenis qui hodiè Polonis *Niepr* dicitur, accolas ad Scythas referre. Inde plurima, quæ de Scythis antiqui dicunt, ad nostros Gothos Sarmatas referenda esse arbitror. *Magnitudo silvæ Hercyniæ.*

Y Unde

x Cont. Vossius in Justin. p. m. 383. y lib. 2. z lib. 6. c. 13. a lib. 1. p. 20. b Comm. 6. bell. Gall.

Unde vox Hercyniæ?

Unde autem nomen hoc silvæ venerit, non satis eruditi conveniunt. Sunt qui Hercyniam putant esse dictam ab *arcendo*; quod creditum sit, eâ silvâ arceri hostes, Scythas potissimùm, ne cultissimas Italiæ Galliæque regiones invadere possent. Ita olim *Jupiter Hercius* dictus est, non à vallo, intra quod colebatur, (ut vulgo creditur,) sed ab *arcendo*, quòd mala arceret ab incolis, (ut rectiùs putatur.) Aliàs scio, *Hercion* pro *domo* accipi; quod *Sophoclis* interpres annotavit. Videatur de his Cælius. [c] Alii Hercyniam ab *Hercule* dictam volunt, sed quo, non constat, argumento? Mihi non improbabile videtur, cùm maxima Hercyniæ sylvæ pars in terris Sarmaticis olim atque nunc etiam sita sit, & Scythæ plerumque fuerint silvæ hujus domini, derivationem ejus nominis è lingvâ Sarmaticâ petendam esse. Atque imprimis in veteri Lingvâ Prussicâ occurrit verbum consimile, quod adhuc Samogethis in usu est. *Arsynia*, & significat locum agro excolendo designatum, qui potissimùm in silvis, (ut fit in novalibus campis,) excolitur, ubi excisis arboribus terra culturæ adaptatur. Sensum hujus vocabuli, ostendit primitiva vox, *arriu* pro quo Poloni orże i. e. aro dicunt. Certum autem Scythas & nostros Sarmatas ut plurimùm ad, vel, inter silvas habitâsse, ita plurimùm in, vel ad silvas agriculturam exercuisse. Unde loci, nomen Arsinia venisse poterat: ac deinde immutatis paulò literis Hercynia in appellatione silvarum cepit. Suprà citatus *Ern.-Dietzelius* in suis ad me de hac materia datis id nominis è Lingvâ Liethvanicâ deducit à verbo *Ersinůs*, quod est *irascor, altercor.* Scilicet, Hercynia silva, *locus altercationis* fuit; atque inde putat locum hunc dictum esse Hercynium, quòd irruptiones & latrocinia Scytharum, populorumque ibi degentium frequentia fuerit, ad quæ respexisse videntur impositores nominis loci illius. Ita ille. Sed in his liberrimum est unicuique, suo inhærere sensui.

Jupiter Hercius.

Arsynia quid?

§. IX.

Recensentur Scytharum populi.

Scythici populi ex Herodoto & Athenæo.

PRo Coronide Capitis hujus visum est, populos, quos Herodotus [d] & Athenæus ad Scythas referunt, brevissimè recensere. Sunt autem *Tauri*, seu *Thaurini*, *Heptocomatæ*, *Bastarnæ*, *Hamaxobii*, *Massagethæ*, *Auchatæ*, *Catrari*, *Arismaspi*, *Halani*, *Traspices*, *Cestiboci*, *Paralatæ*, *Scoloti*, *Nomades*, *Agathyrsi*, *Neuri*, *Androphagi*, *Melanchlæni*, *Budini*, *Sauromatæ*. Hi (Sauromatæ) distingvebantur in *Alizones*, *Tyritas*, *Argipocos*, *Laxios*, *Budinos*, *Thyssagetas*, &c. Præter hos recensendi hic forent populi olim Scythis adnumerati, uti sunt *Cimbrici*, *Celtici & Gothici* & alii, quorum numerus, si omnes vellemus calamo persequi, plus justo excresceret, adeoque moram requireret longiorem. Nonnullos tamen in sequentibus exponemus; Gothorum scil. socios vel confines.

CA-

c lib. 21. c. 1. d In Melpom.

CAPUT IIX.

De Variis Gothorum Sedibus.

VArias Gothorum Sedes *strictim* hic persequi placuit, ne immoremur iis, quæ facile ab aliis haberi possunt, & pauca de se singularia referunt.

§. I.

De Gothis in Daciâ.

A Tempore, quo bella Gothorum innotuêre Romanis, prima & antiquissima Sedes Gothorum apud AA. reperitur in *Dacia*, quæ hodie *Transilvaniæ* & *Valachiæ* nominibus venit. Tenuisse Gothos Daciam, ante *Alexandri M.* tempora testatur *Arianus* Nicomed. [a] Refert is *Alexandrum* ad Danubii fluenta profectum, gentes ibi bellicosissimas, *Germanos* scil. *Jazyges*, *Sarmatas*, *Getas & Scythas*; imprimis verò *Getas trans Danubium* in adversa ripa armatos, atque suum progressum prohibentes reperisse, quorum tamen unam civitatem expugnavit. Daciam Gothis *Strabo*, [b] quoque adscribit, dum Provincias illas trans Istrum collocat ad Tyram fluv. *Bastarnis* vicinas. *Supra jacens*, inquit, *regio universa inter Borystenem & Istrum prima est Getarum solitudo; post Tyragetæ, post quos Sarmatæ, Jazyges & Basilei & Urgi. Ex quibus pars maxima Nomadibus i. e. pastoribus constat. Pauci agrorum colendorum tenentur. Hos utramq; Istri ripam incolere sæpe traditur. Intra terram sunt Bastarnæ, Tyragethis vicini, & ipsi ferme ex Germanis originem ducentes.* Cum his Alexander M. *bella* gessisse eorumque urbem unam expugnâsse idem Auctor testatur. His consentiunt Poëtæ, qui Gothos in Dacia collocant. Epigrammaticus Vates ita de suo Domitiano, Imp. Rom.

Gothi in Daciâ antiquitus.

Ante Alexandri M. tempora.

(1.) Ex Ariano.

(2.) Ex Strabone.

(3.) Ex Martiali & Statio.

Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri,
Sudantem Getica ter nive lavit equum.

Martial. l. 9.

Et *Statius* in suâ Thebaide.

Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum
Et conjurato dejectos vertice Dacos, &c.

Statius l. 1.

Ita illi suorum ad Principum palatum versus accommodârunt suos, ut placerent auribus & animis; quandoquidem ex Tranquillo [c] palam est, *Domitianum*, contra Sarmatas expeditiones suscipere coactum, binas legiones, cum legatis amisisse; alteram sub *Oppio Sabino* consulari, alteram sub *Cornelio Fusco* Præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. Eò alludit *Satyricus*:

Et

[a] In Hist. Alexandr. M. [b] lib. 7. [c] In Vita Domit. Imp.

Juvenalis.

Et qui vulturibus servat sua viscera Dacis
Fuscus marmoreâ meditatus prælia villâ.

Et *Martial.* in Epitaphio Fusci.

Hic situs est Fuscus, licet hoc fortuna fateri,
Non timet hostiles jam lapis ille minas.

(4) Ex Stephano Byzantio.

(5.) Ex Dionysio Geographo.

Quando Gothi Dacia expulsi?

Atque hi ut puto Auctores erant, *Stephano Byzantio*, [d] ut Getas Dacos vocaret, eosque in confiniis Borysthenis collocaret. Ab his *Dionysius* Geograph. [e] edoctus, *Getas*, *Dacos*, *Alanos*, *Bastarnas*, *Sarmatas* ad ostia Mœotidis collocat. Ita Gothi in Dacia imperitârunt non tantùm usque ad *Trajani* tempora, qui feliciter nonnunquam cum illis conflixit, attamen non attrivit. *Pontem* tamen, ne ex Dacia in Imperii Romani fines irrumperent, exstruxit *super Istrum*, & præsidio magno imposito irruptiones Gothorum repressit. Duravit hoc imperium Gothicum usque ad *Attilæ & Balamberi* Hunnorum Regis tempora, qui marte & sorte secunda usus, Gothos è Daciâ expulit.

§. II.

De Gothis in Pannonia.

Gothos in Pannonia fuisse probatur.

(1.) Ex Strabone.

(2.) Ex Tacito.

(3.) Ex Tranquillo.

(4.) Ex Procopio.

NOn pauci è Veteribus Gothos in *Pannonia* collocant. *Strabo* [f] imprimis refert, *Borebistam* Gothorum Regem in terris Pannoniorum exercitum XL. M. militum habuisse, cum *Curio* Proconsule primùm, deinde cum *Lucullo & Ælio Catone* conflixisse. Jornandes adjicit, quòd postea *Lucius* Consul Gothos è Pannoniis & *Illyriis* terris expulerit, totumque Illyricum in Provinciæ formam redegerit. *Tacitus* (lib. 4.) Histor. Aug. scribit de *Lentulo*, quòd Triumphalia de Gothis egerit in *Pannonia* debellatis. Tranquillus (*in Vita Domitiani*) notat, quòd Gothi Romanos ibidem sub Domitiano fuderint, Cornelio Fusco cum toto exercitu, deleto. De quo suprà. *Procopius* [g] certum designat Gothis locum, nempe circa *Sirmium*, quem tempore *Leonis & Justiniani* Imper. coluerunt; Romanisque fida in usu bellorum auxilia tulerunt, sub Regibus *Theodorico & Vitige* contra *Gepidas*.

§. III.

De Gothis in Mœsia.

Gothos in Moesia regnâsse probatur.

(1.) Ex Treb. Poll.

(2.) Ex Jornande.

REgnâsse Gothos in *Mœsia* certum est, potissimùm sub *Gallieni & Claudii* tempora, eorumque potentiam tantam fuisse, ut Imperio Romano metum incutere visa sit, & potuerit. Ea tamen ferè omnis à Romanis attrita est, *trecentis & viginti millibus Gothorum* à Claudiano exercitu *deletis*: *bis mille navibus* in Istro *submersis*. Ducem Regemque illorum Treb. Pollio [h] appellat *Cunabaudem*. Mansisse tamen post eam cladem prope extremam, Gothorum reliquias in Mysia, testatur Jornandes; scribit enim Gothos sub tempus *Attilæ* regionem *Eucopolitanam* coluisse.

§. IV.

d lib. de Urbibus. e In Carm. f lib. 5. & 7. g lib. 1. Hist. Aug. h In Vita Claud.

§. IV.

De Gothis in Thraciâ.

ETiam in *Thraciâ* Gothorum nomen non peregrinum, sed *civile* fuisse Scriptores referunt. *Julius Capitolinus* de *Maximino* Romano Imperatore scribit, quod in *Thraciæ Vico*, in quo genitus fuit, possessiones sibi comparaverit, atque cum Gothis ibi degentibus commercia habuerit, ideoque à *Getis* tanquam *concivis* acceptus fuerit. Sub *Valentiniano & Valente* Romanis Imperatoribus, agros in Thracia sub onere tributi persolvendi possederunt. Auctoribus & Regibus *Vridigerno*, *Alathæo & Safrago*. Meminit hujus expeditionis *Stephanus Byzantinus*, c. l. cujus verba ex Græco hæc sunt: *Gothi* quidem, *gens olim juxta Mœotidem sedes fixerant, inde in Thraciam interiorem trajiciebant.* Meminit ejusdem Claudianus Poëta Carmine de bello Getico, sic:

Gothos sedes suas habuisse in Thracia probatur.

(1) Ex Julio Capitolino.

Maximinus Gothorum concivis.

(2.) Ex Stephano Byzant.

(3.) Ex Claudiano.

Ex quo jam patrios gens est oblita triones,
Atque Istrum transvecta semel, vestigia fixit
Threjicio funesta solo: seu fata vocabant,
Seu gravis ira Deûm seriem meditata ruinis,
Ex illo quoscunque vagos impegit Erinnys,
Grandinis aut morbi ritu per devia rerum
Præcipites, per claustra ruunt, nec contigit ullis
Amnibus aut scopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil vastus Athos, nil profuit Hæmus
Odrisiis, facili contemnunt Strimona saltu.

Meminit ejusdem tandem *Ammianus* Marcell. [i] Inde nomen venit *Ostrogothorum & VVestgothorum*; Scilicet, qui ad Orientem Duce *Athalarico* occupârunt terras, dicti sunt *Ostrogothi*: cæteri ad Occidentem *VVest* vel *Visigothi*. Ea locorum spatia *Theodosii* Cæsaris ævo retinuerunt Gothi, pacti cum illo fœdus sub *Athalarico* Rege; vi cujus fœderis, auxilia Romanis subministrare tenebantur contra *Arbogastum* Tyrannum. Hac de re scribit *Damascenus* in Suppl: Eutrop.

(4.) Ex Amm. Marcellino.

Unde Ost- & West-Gothi dicti?

§. V.

De Gothis in Illyrico.

GOthorum arma sensit *Illyrium*, imperium adoravit. Sæpius memorantur ab Auctoribus Gothi bellâsse in Illyrio vel pro Illyrio. Huc alludere *Apollinaris* videtur in Carmine Panegyr.

Gothos in Illyrico ponunt.

(1.) Apollinaris.

Perstrinxisse libet, quos Illyris ora triumphos
Viderit, excisam quæ se Valamiris ab armis
Forte ducis nostri vitio deserta, gemebat.

i lib. 31.

(2.) *Jornandes.* *Jornandes* quoque refert, Gothos cum *Sarmatis*, *Suevis*, *Scyris*, *Rugis*, *Gepidis pro Illyrio* bella gessisse. (3.) *Claudianus.* Et *Claudianus* Vates quarto ad Honorium Panegyrico, scitè describit bellum Gothicum in Illyrio confectum; sed quo, infausto Marte Gothi à Romanis profligati sunt. *Gothi ad Mare Adriaticum.* Non incongruè Procopius Gothos ad mare *Adriaticum*, *Sinumq; Jonicum* reponit, inquiens: (4.) *Procopius.* *His nationibus Gothi, qui juxta Jonicum erant, in hujus belli initio imperitabant.* H. J.

§. VI.

De Gothis in Italia, Græcia, Gallia.

Gothi in Italia. GOthos imperitâsse Ausoniis sive *Italiæ*, etiam lippientibus in Historia notum est. *Gothi in Græcia.* Imperâsse quoque *Græcis*, testatur Jornandes, qui *Theodomirum* Gothorum Regem tres Græciæ urbes armis possedisse scribit, nimirum, *Heracleam*, *Larissum & Thessalonicam.* *Gothi in Gallia.* Neque *Gallia* à Gothis immunis fuit & quidem *Aquitania*, sub Regibus Gothicis *Eurico*, *Theodorico*, *Torismundo*, & aliis. Videatur *Damascen.* In Eutrop. Ann. Jornandes refert, quòd Gothi in Gallia *Briothimum*, *Britonum* Regem Romanis suppetias ferentem vicerint, de quo Sidonius Apollin. ad Agret. Præf. it. ad *Tonantium, Ferreolum* Præfectum &c. Fusè hac de re agit Lazius lib. 10.

§. VII.

De Gothis in Hispania.

Gothos in Hispania fuisse probant. ANno Christi 411. temporibus Honorii Roman. Imp. sub Regibus *Alarico*, *Athaulpho*, *Vallia*, *Amalarico* & cæteris, Gothi *Hispaniam* tenuêre, de quo (1.) *Sidonius Apollinaris.* *Sidonius* in Panegyr. ad Anthem. Celebrantur plura *Concilia* sub Regibus Gothorum facta in Hispania, in quibus mentio fit, non solùm *nominis* sed & *gentis Gothicæ*; Virorumque nomina notantur, quæ in subscriptionibus exprimuntur. (2.) *Concilia in Hispania celebrata.* Celebrantur autem hæc potissimùm, quæ facta sunt *Toleti*, *Hispali & Braccaræ. Hispalense I. & Toletanum III.*, sub *Riccaredo* Rege Gothorum. *Toletanum IV.* sub *Sinenando. Toletanum VI.* sub *Chintillano*, Reg. Goth. *Braccarense I.* sub *Ariomiro. Toletanum*, *VII.* sub *Chundimundo. Toletanum IIX. IX. X.* sub *Reccesuntho. Toletanum XI. & Braccarense III.* sub *Bambano*, qui omnes Reges Gothorum erant. In Actis Concilii Toletani III. hæc verba reperiuntur: *Signum Gusfini viri Illustris proceris. Fansa Vir Illustris anathematizans subscripsi. Afrila Vir Illustrissimus anathematizans subscripsi. Abila Vir Illustris anathematizans.* &c. Et iterum: *Tum Episcopi omnes unà cum clericis suis primoresq; gentis Gothicæ pari consensione dixerunt.* In Actis Concilii Toletani IV. sub Sinenando Rege celebrati hæc leguntur: *Hoc etiam tertiò acclamamus, dicentes: Quicunq; à modo ex nobis vel cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro Patriæ salute, gentisq; Gothorum statu vel incolumitate Regiæ potestatis polli-*

ci-

citus est, inolevit &c. Et post: *Corroboret ergo CHristi gratia, regnum illius, gentesq; Gothorum in fide Catholica animis & meritis.* Item hæc: *Post quædam decreta & instituta Ecclesiastici ordinis, quæ ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis Sacerdotibus, pro robore nostrorum Regum, & stabilitate* gentis Gothorum, *Pontificale ultimum sub DEO Judice ferre decretum.* In Synodo Toletana V. sub Cantillano Reg. Goth. celebrata hæc tertia est constitutio: *Hujus rei causa nostra omnium cum invocatione divina profertur sententia, ut si quis talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium præficit, nec* Gothicæ gentis nobilitas *ad hunc apicem trahit, sit consortio Catholicorum privatus.* Similiter Gothicæ gentis mentio facta est in Concilio Toletano VII. his verbis: *Ideo placuit tunc concordi sententia definire, ut quisquis in ordine clericatus, à maximo gradu usq; ad minimum constitutus, in alienæ gentis regionem se quacunq; occasione transduxerint, uti exinde superbiendo vel reditum suum, vel quodlibet aliud videtur expetere: sive etiam quia* gentis Gothorum *vel patriæ aut Principi post fugam inferrent, atq; in eadem pravitate perseverarent: quisquis hoc fecisse dignoscitur, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur.* In Concilii Toletani IIX. statutis, & quidem in textu Epistolæ Reccesunthi Regis hæc habentur: *Ita nos omnem populum jurâsse recolimus, ut cujuscunq; honoris vel ordinis persona, quæ in necem Regiam excidiumq;* Gothorum gentis *ac patriæ detecta fuisset* &c. Ibidem & *Comitum Gothicorum* nomina commemorantur, *Odoacer, Ofilo, Afrila, Venedarius, Kuchilla* &c. Similiter in Concilio Toletano IX. verba hæc leguntur sub *Reccesuntho* habito: *Si contingat*, (inquiunt decreta hæc:) *quemcunq; de liberis Ecclesiæ, eorumq; prosapia, contra primævas modernasq; Patrum regulas, aut* Gothus *aut* Romanus *ingenuus copulari.* &c. Sed imprimis subscriptiones Nominum quæ in Conciliis IV. & IIX. Toletanis ponuntur, notandas velim; ex quibus facilè ostenditur, Gothorum fuisse Hispaniam & Gothis abundâsse. Wolfg. Lazius lib. X. antiquissimum allegat Codicem dictum Annales Caroli Martelli; in quo Hispania expresse vocatur Gothia, his verbis: *Anno Domini* 734. *Carolus contra Saracenos in Gothiâ pugnavit.* Et mox: *Et Saraceni per angustum mare omnem Hispaniam occupârunt.* En quæ suprà Gothia, jam mox Hispania dicitur. Tandem communis est Eruditorum sensus, quòd *Cathalonia* non alia sit regio, natioque, quàm *Gotho-Alania.*

Hispania dicitur Gothia.

Cathalonia est Gotho-Alania.

§. IIX.

De Gothis in Phrygia.

GOthos tandem incoluisse *Phrygiam* quoque patet ex Claudiano, qui Carm. 2. in Eutropium ita cecinit:

Gothos in Phrygia fuisse dicit Claudianus.

Ostrogothus colitur, mixtusque Gothunnis
Phryx ager, hos parvæ poterumt impellere causæ.

Ita scilicet Europam pœnè omnem Asiamque implevit nomen Gothicum, inundârunt arma, Imperium propagatum est. Ea exstitit Gotho-

thorum virtus, ut ferè omnibus aut immisti populis, aut dominati essent, immisti ut socii; dominati ut victores.

CAPUT IX.

Ostenditur prædictas Gothorum Sedes non fuisse nativas; sive Originales terras.

QUandoquidem Historicorum plerique Gothos jam in his jam in illis Terris collocant, ut suprà vidimus: inquirendum attentiùs & videndum est, an prædictæ Terræ, quas *Sedes* vocamus, sint *nativæ Gothorum*, sive illæ, quas *primitùs* Gothi possederant. *Primævas* jure dixerim; sicut illas, quas deinde armis occupârunt, *Primitivas*. Sed ordine procedendum est, atque singulas, in quibus suprà ex Authoribus collocavimus, discutiendo Sedes, inspiciendum, *quænam sit illarum Primæva sive Originalis?* Quare sit.

Quænam sit Gothorum primæva seu Originalis Terra?

§. I.

An Thracia fuerit nativa Gothorum Sedes?

An Thracia?

VIdimus suprà, Scriptores è Veteribus Gothos ad *Pontum Euxinum* collocâsse: Hinc *Thracia* in suspicionem venit nativæ Gothorum Sedis. *Thracia* Scriptoribus communiter venit tractus ille Terræ, qui est *inter Hæmum montem ab Oriente ad Pontum Euxinum sese extendentem, & inter Strymonem fluvium in Mare Ægeum illabentem.* Videatur *Bancartus* in Europâ Antiquâ. Sed Antiquorum nonnulli ulteriùs extendunt Thraciam, ad *Istrum* usque, partem *Scythiæ* eam reputantes. [a] *Thracia in quinquaginta Strategias* dividitur à *Plinio. Thraciæ populi* plurimi, juxta nomina singularum regionum singula, moribus tamen ac opinionibus consimilibus imbuti fuerunt. Celebriores Thraciæ populi fuerunt, *Scordisci*, *sævi quondam & truces, hostiis captivorum Bellonæ litantes & Marti; humanumq; sanguinem in ossibus capitum humanis bibentes avidiùs, quam asperitate post multiplices pugnarum ærumnas, sæpe res Romana vexata, postremò omnem amisit exercitum cum Rectore.* Ammian. Marcell. [b] In Thraciâ quoque memorantur ab eodem *Marcellino.* c.l. immaniter efferati *Odrysæ* populi, *ita humanum effundere sanguinem assveti, ut cùm hostium copia non daretur, ipsi inter epulas, post cibi satietatem & potus, suis velut alienis corporibus, imprimerent ferrum. Thrausi* quoque celebres fuerunt Thraciæ populi, quorum mos circa *natalitia* suorum & *obitum*, hic fuit: *Edito puero, propinqui circumsedentes, eum ploratione prosequebantur, recensentes, quascunq; necesse est, illi perpeti humanas calamitates. Hominem fatô functum per lusum ac lætitiam terræ demandabant.* Insignes è Thracibus etiam *Chrestoni* memorantur, quorum singuli *plures uxores* habebant, quarum, quæ marito fuit *charissima*, mactabatur ad tumulum, simulque cum viro *humabatur.* Conf. *Joann. Auban. Boëm.* [c] Præter hos recen-

Thraciæ situs.

Celebriores Thraciæ populi, Scordisci.

Odrysæ.

Thrausi.

Mos Thrausorum.

Chrestoni.

[a] Plin. lib. 4. [b] lib. 27. [c] de moribus legibus & ritibus omnium Gentium lib. 3. c. 5. pm. 208.

recensentur *Girminiani* & *Mypsæi*, Thraciæ quoque populi, qui *Dario* in Thraciam moventi statim se subdiderunt. Ad Thraces tandem referuntur *Getæ*, *Thracum omnium fortissimi* juxta Herodot.[d] Hi per imperitiam restitisse *Dario*, & ab ipso *in servitutem* redacti fuisse, dicuntur eodem testante, qui mores etiam eorundem describit, sed de his postea: ubi autem specialis hujus populi in Thracia sedes fuerit, non adscribitur. Interim moris antiquitùs fuit Græcis & Latinis præsertim Auctoribus, *vicinos* suos, aut *conterminos Thraciæ*, Thracum nomine insignire. *Taifali*, qui fuerunt Gothi, à Duce eorum *Taifalis*, ita nominati, tempore *Constantini* M. A. C. 330. Thraces sunt dicti, ab *Aurelio Victore*, in Constant. *Egnatio* & Paul. *Diacon.* Sic etiam Græci alludentes ad vocem illam *γείτων* etiam vicinos Thracum Getas appellabant. Ita Thraces dicti sunt *Græci Getæ* i.e. *vicini Græcorum*: quòd confines fuerint Macedonibus Græcis. Getarum autem Sedes originalis ultra Istrum & ultra Daciam fuit, quod ex sequentibus patebit. Quòd autem Gothorum terra nativa non fuerit Thracia, patet ex eo, *primùm*, quòd Gothi, invitis Romanis *irruptiones fecerint in Thraciam*, idque primò factum dicit *Aurelius Victor.*[e] Tempore *Valentis* & *Gratiani* Impp. Confer. *Amm. Marcell.*[f] 2. *Vopiscus* refert: *Aurelianum* Imperatorem non potuisse debellare Gothicas Gentes aliter, *nisi per Thraciam iter faceret.* Ergò non in Thraciâ sed ultra Thraciam sedes genuina illorum fuit. Accedit 3. prædictis, quòd vetus Auctor Græcus *Stephanus Gothorum sedes juxta Mœothidem ponat*, qui inde in Thraciam penetrârunt. 4. Quia jam factis sæpiùs irruptionibus in Romanorum ditiones *à Valente, missis Oratoribus, obtinuerunt in Thraciâ agros* quosdam, quibus impetratis, Danubium omnem *fracto in lintres nemore*, *cum Charitatibus suis eò transmigrârunt*, *sub Regibus Fridigerno, Alathico, Safrago.* Claudian. c. l. Amm. Marc. c. l. 5. *Dio* Gothiam à Thracia distinctam facit: quare cùm M. Crassi victorias describit, meminit *Crassum* sub auspiciis Augusti *debellâsse Thraces, Getas tantùm vexâsse.*[g]

Girminiani & Mypsæi. *Getæ resistunt Dario & vincuntur.* *Thraces dicti & confines Thracum.* *Taifali.* *Getæ dicti vicini Thracum. Thraces Græci-Getæ.* *Thracia non fuit nativa Gothorum Terra. Probatur.* 1. 2. 3. 4. 5.

§. II.
An Dacia fuerit genuina Gothorum sedes?

GOthi, de quibus res nobis, Auctoribus præter Jornandem, Marcellino,[h] & Eutropio[i] dicuntur è Dacia in Thraciam demigrâsse, quærendum hic venit, an Dacia fuerit genuina Gothorum sedes? Sed notanda priùs veniunt quædam de Dacia. *Primum* est: Daciæ Regionem in iis *sitam fuisse* locis, in quibus nunc est *Valachia* & *Transylvania*, nobilis Hungariæ pars: vetusque Daciæ nomen in hæc nomina concessisse, ut jam non amplius Daci sed Valachi & Transilvani audiant, teste Lazio.[k] *Secundum* est. Non ex vano conjecturare licet Daciæ nomen non fuisse gentis hujus primævum, sed Dacos Davos fuisse priùs vocatos. Ita enim testatur mihi *Stephanus Bizantius.*[l] *Sunt autem*, inquit, *Daci illi, quos nos vocamus Davos.* Neque solùm Auctoritas

Gothi an è Dacia? *Situs Daciæ.* *Daci olim Davi dicti.*

A a

d l. 4. e Histor Antiq. f lib. 31. Ambrosius comment. in Luc. lib. 9. c. 21. g Vid. Cæl. Rhodig. lib. 18. c. 23. h lib. 31. i lib. 12. k lib. 10. pm. 694. l lib. de Urbibus.

ritas viri allegata, ſed ratio etiam mox alleganda rem facit ſatis probabilem. Nomen enim To Dacus originem ſuam ex lingva refert Sarmatica. *Dakas*, pro quo Zamogethæ *Dukas*, pronunciant, variante dialecto, Pruſſis, Lietvanis, Zamogetis, *homines feros*, *agreſtes*, *&c. quaſi ſtupidos* ſignificat. Vix autem credibile eſt, gentem tam inſignem ac nobilem, tam abjectum nomen in ſuamet patria inveniſſe aut à ſuis Civibus accepiſſe. Quare meritò ſuſpicor ab aliis ei inditum fuiſſe id nominis, ex contemptu forſan. Neque eſt, quòd quis mutationem literarum ſcil. A. in V. nobis objiciat: talis quippe mutatio vocalium Sarmatis frequentisſima fuit, & adhuc eſt. Dum enim Zamogetæ dicunt *Pruntu*, *Dungus*. &c. cæteri in Pruſſia dicunt *Prantu*, *Dangus*. Poloni autem pro hodierna dialecto in plurimis ad I. deflectunt, interſerendo Z. ita pro *Dukai* dicunt *Dziki*. Id enim Polonis hodie ſolemne eſt, ut ſuis & alienis vocabulis I. & Z. interponant. Sicut in ſimili, *Peter* eſt originale nomen. Poloni eloqvuntur illud *Piotr* &c. Illud ergo nomen Dacus contemptum gentis & forte etiam cauſam contemptûs indicat. Quòd autem gens contempta fuerit patet primò, quia Daci non ſecus ac Gothi in ſervile mancipiorum nomen abiêrint. Unde politiores cæteræ nationes mancipia ſua Dacos appellabant; forte ideò, quòd Dacorum gens agreſtis, ut olim Scythica, inculta moribus, ritu barbara, & quòd maximùm, barbariei ſuæ tenax fuerit, ideoque deſpicatui habita. Accedit, quòd Gothis veſtigales facti, obſequia Dominis inſtar mancipiorum præſtare, Daci coacti ſint, teſte Juſtino.[m] 3tiò. *Debellati* ſæpius iidem à Romanis ſub *Auguſto*, *Tiberio*, & *Trajano* Imperator., potiſſimùm verò, diuturnos *Decibali* bello viris viribusque toti exhauſti, Romanorum ferè facti ſunt mancipia: Ita teſtantibus Eutropio[n] & Aurel. Victore.[o] Quanquam & ante hæc tempora ſors ſimilis iis obtigit: cùm enim ſub *Orole* Regulo, adverſus *Baſtarnas* malè pugnâſſent, adeò abjecti redditi ſunt, ut *miniſteria uxoribus facere cogerentur*. Ita Juſtinus.[p] Atque hæ ſunt cauſæ contemptûs gentis Daciæ. Num autem illi à *Dais*, populis olim prope *Hircaniam* habitantibus deſcenderint, non facilè dixerim: inſignis enim locorum intercapedo ferè denegat iſtis populis omne commercium ac commixtiones cum Græcis, Dacisque Vid. Cæl. Rhodig.[q]

Origo vocis Daci.

Unde contemptus Dacorum.

Jam quantum attinet ad propoſitum. Respondeo: *Daciam non fuiſſe primitùs à Gothis inſeſſam*. Patet id 1. ex deſcriptione *Arriani Nicomedienſis*[r] qui regiones ultra Danubium ſitas, deſcribens dicit, quòd *Scythæ proximi Danubio ad exitum fluminis*, *unde per quinq; oſtia in Pontum Euxinum effluit*, *fuerint*; nimirum in *Valachia* & *Beſſarabia*, quæ *Dacia* olim *Alpeſtris*: Poſt hos *Sarmatarum* quædam gentes ſua tenuerint loca, ubi nunc *Tranſylvaniæ* pars *Moldavia*, *Pocutia* &c. Tum *GETÆ* ubi nunc *Ruſſia Rubra*, *Volynia* &c. tum *Sarmatarum quidam populi* ſc. *Poloni*, *Pruſſi*, tum denique poſtremi, *Quadi* & *Marcomanni*. i. e. *Bohemi*, *Sileſii*, *Moravi* ſunt. 2. Probatur ex eo, quòd Daci & Gothi ſeu Getæ ſemper apud Veteres Hiſtoricos accuratiores pro diſtinctis

Dacia non fuit Gothorum primæva ſedes.

Daci à Gothis diſtincti populi.

m lib. 32. n in Tiberio. o in breviar. 18. p lib. 32. c. 3. 16. q lib. 18. c. 24. r in Hiſtoria Alex. M.

ſtinctis populis habiti ſint. Ita enim Dio [s] ſcribit de turmis Dacorum & Svevorum, (populi Gothici,) *quarum altera Scythica quodam modo, altera Germanica natio.* Idem [t] ait: *Dacos eos appello, quia ita, cum à ſe ipſis, tum à Romanis vocantur: etſi non ignoro, eos à quibusdam Græcis Getas eſſe dictos.* Hinc evidens eſt, *Getas* Dioni, *alios à Dacis* eſſe, licèt illos Græci Scriptores nonnulli in nomine confuderint, certè per errorem. 3tiò. Tacitus [u] Germaniam deſcribens ad Germanos refert *Gothos*, non tamen *Dacos.* 4tò. *In deſcriptione Orbis Junioris Theodoſii* Dacia contermina habetur *Gothiæ* ad amnen Huiſtiam, per quem nullus alius intelligendus videtur quàm Viſtula noſter. Nam ita ibi legitur: *Germania omnisq; Gothia finiuntur ab oriente fl. Huiſtia* &c. Et paulò poſt. *Illic Dacia & Alania finiuntur deſertis Sarmatiæ ab Occidente flumine Huiſtiæ.* Si contermina Daciæ fuerit Gothia & ad amnem Viſtulam, utiq; non Dacia erat.

Notandum verò eſt errorem, quo *Gothia* ab AA. Iſidoro [w] & Æthico, [x] *Dacia, Gothiq; Daci* appellati ſunt, inde ortum eſſe; quia Dacorum Terram olim Gothi occupârunt, ſibique vectigalem fecerunt: Quod *Jornandes* ex *Ablavio* & *Deuxippo* refert, cui *Stephanus* quoque conſentit. Hoc autem paulò *ante Alexandri M. tempora* accidiſſe putat *Lazius.* [y] Hujus rei, nimirum Dacos olim fuiſſe vectigales Gothis, meminerunt deinde *Longobardi* in oratione quadam ad Juſtinian. Imperat. teſte Beat. Rhenano. [z] Et hoc ſenſu *Daci* audiunt *Soboles Getarum*, apud Juſtinum. [a] Ex his patet opinionem *Alb. Kranzii* [b] aſſerentis, ideò Gothos vocatos eſſe Dacos, *quòd ſe Danis immiſcuerint*, labeſcere: vix enim credibile eſt, quòd huc Dani in Daciam venerint, cùm id certô deſtituatur Auctore. Conjecturam verò, quâ Danos huc referunt antiqui, hinc ortam eſſe puto, quòd *nomen Dani & Tanai fluv.* confundere aliqui ſint auſi. Præter hanc, aliam ego erroris hujus cauſam invenio apud citat. Stephan. Bizant. c. l. Nimirum antiquorum nonnulli limites Daciæ extenderunt uſque ad *Germaniæ litora*, imò ad *Iſtri fontes* & *Boryſtenis* ad Occidentem ac Septentrionem verſus. Adeoque Dacia juxta illos in ſe continebat *Rusſiam, Pocutiam & Volyniam*, imò quoque *Poloniam & partem Germaniæ.* Hinc non eſt mirum, quòd aliqui Daciam ad Germaniam referre alloborent. Atque propter talem extenſionem vocare non veretur Dionyſius Daciam, *ingentem Dacorum ſinum.* Hæc itaque ratio fuit, ut Dacorum & Gothorum nomina mixtim apud quosdam converſa fuerint.

Gothi occupârunt Daciam.

An Dani Gothis noſtris immixti fuerint?

§. III.

An ad Pontum & Tanaim Gothi primitùs conſederint?

VIdentur id affirmare inſignis Auctoritatis Viri, *D. Hieronymus* [c] & *Spartian.* [d] qui Gothos *à Ponto* veniſſe palàm aſſerunt. Videtur & ratio pro illorum ſtare ſententiâ. Gothi enim teſte *Amm. Marcell.* [e] *propinqui Thracibus, Dacis vicini*, habiti dictique ſunt. Dacia

autem

[s] lib. 1. [t] lib. 67. [u] de moribus German. [w] lib. 14. c: 14. [x] in deſcript. Europ. [y] lib. 10. p. 694. [z] in præfation. Procopianci Editionis. [a] lib. 32. c. 3. [b] in Svet. lib. 1. c. 23. [c] in quæſtion. Hebraic. [d] in Anton. Caracallo. [e] lib. 12. pm. 695.

autem & Thracia ab Oriente contermina fuêre Ponto. Ad Auctoritatem Doctorum, rationemque allegatam Respondeo. Gothos à Ponto venisse, sed non ibi primò primitùs consedisse, sed *pertransisse* tantùm illius Ponti regiones, ut amœniores ac fertiliores inquirendo terras, eas repertas possedissent. Aut certè à Ponto venisse i. e. *ab illa Cœli plaga, sub qua vel prope quam Regio Ponti sita est.* Nisi intelligas à Ponto i. e. ad Pontum venisse, sive *in confiniis Ponti* resedisse: dum sedes suas in iis fixerunt terris, quæ prope sunt Pontum, uti sunt Moldavia, Podolia, Ukraina &c. Hinc uti Dacia Thraciaque; ita & prædictæ Regiones conterminæ sunt Ponto atque vicinæ. Hanc equidem Ponticam Regionem assignant quidam non Gothis tantùm; sed & aliis quoque populis. Hunnis, Alanis, Taifalis, cùm tamen tot populos ibi consedisse vix probabile. Quòd autem ea regio Gothorum nativa sedes non fuerit, patet ex eo, quòd sæpius *Gothi irruptiones in Ponti regiones* fecerint. Imò, ut Eutropius [a] dicit, præter Græciam, Macedoniam quoque & *Pontum totaliter vastârint.* Jam si ea Regio nativa Gothorum Terra fuisset: quî eam utpote suam vastâssent Gothi?

Quo sensu Antiqui dicant Gothos à Ponto venisse?

Gothi vastant Pontum.

§. IV.

An Pannonia & Mœsia primævæ Gothorum sedes fuerint?

ITa videntur sentire AA. nonnulli. 1. *Ætius Spart.* refert, *Antonium Caracallum*, [b] Severi Septimii Imperatoris Filium Getas ad *Istrum in Pannonia* vicisse. Item *Trebellius Pollio*, [c] quòd bellum adversus Gothos in mediâ Pannoniâ susceperit. Idem *Pollio* de Claudio Cæsare habet notabile, quâ ratione Gothi per *Pannonias Mœsiasque* vagantes repressi fuerint. *Claudio,* inquit ille, *Scriptores adulamur, qui duo millia armatorum delevit, oppressit, attrivit: qui carraginem tantam, quantam numerus hic armatorum sibimet aptare potuit, & parare, nunc incendia fecit, nunc cum omnibus familiis Romano servitio deputavit, ut docet ejusdem Epistola, quam ad Junium Brochum Illyricum tuentem scripsit, in hæc verba:* Claudius Brocho: *Delevimus* CCC XX. *millia Gothorum, duo millia navium mersimus, tecta sunt flumina scutis, spatis & lanceolis omnia littora operiuntur. Campi ossibus tecti* &c. *Pugnatum est apud Mœsios & multa prælia fuerunt apud Marcionopolim pleriq; capti Reges* &c. Nihilominus tamen Gothi sese recolligentes, magno numero *Pannonias Illyricumq;* invaserunt, ac ex Pannoniis, occupatis *Thraciis*, *Macedoniam* vastârunt, *Thessalicam* obsederunt. Ita *Pollio* citatus. [d] Denique sub *Arcadio* & *Honorio* Impp. locati sunt Gothi in terra Romanorum i. e. *Pannonia.* [e] Pannoniarum possessione potiti, eam usque ad *Attilæ* adventum, post cujus obitum iterum domitores totius Illyrici facti, securè tenuêre Gothi. *Lazius.* [f]

Insignis Claudii Cæsar. de Gothis victoria.

Nomine autem Pannoniæ Auctoribus antiquis venit communiter *tractus terrarum; qui modò in se continet Hungariam inferiorem, Austriam, Styriam,*

Pannoniæ situs antiquæ.

a lib. 9. pm. 410. b in Ant. Caracall. c in Gallieno. Imp. R. d in Gallieno. e Eutropius in Annal. f lib. 10. pag. 703.

Styriam, Croatiam, Slavoniam, Pannoniam, Bubaliam, Rasciam, partemque Dalmatiæ. De quo videri poteſt *Blancardus* in Europa Antiq. Pannoniæ autem duæ ſunt; *Prima* & *Secunda.* (prout *Rhœtia prima* & *ſecunda* leguntur) apud Ptolomæum.[a] Paul. Diac.[b] Altera *inferior*, altera *ſuperior* audiit. Auſtria, Styria, Hungaria modò dicta inferior, ſuperior fuit Pannonia. Cæteræ ad inferiorem pertinuerunt. Hæc tamen non convincunt Pannonias primas ac principales Gothorum fuiſſe ſedes. Aliud enim ex aliis conſtat Authoribus; nimirum ex *Amm. Marcell.*[c] *Eutropio*[d] *Damaſceno*, præter cæteros, ex quibus luculentiſſimè probatur, Gothos *è nativa Terra in Daciam, ex hac in Thraciam, hinc in Pannonias iviſſe*, eosque ab Imperatoribus Rom. in ſuum jus ac regimen accepiſſe, & ad uſque Attilæ adventum retinuiſſe, à quo victi *Pannoniam* ſuperiorem & *Noricum* ſub ratione tributi ab eodem impetrârunt. Poſt mortem *Attilæ*, cùm ſe in libertatem vindicâſſent, totum Illyricum occupârunt, ac fœdere cum Romanis inito, fida iiſdem contra Sarmatas, Heruloſque auxilia ſubminiſtrantes, *Italiam* atque inde *Galliam* conniventibus, vel potius concedentibus Imperatoribus obtinuerunt. Tanta potentia aucti, ſciſſi ſunt in duplex regimen, atque diſtinctum quodammodò populum, nempe in *Oſtro-Gothos* & *Veſi* ſeu *Viſogothos.* Illorum Dux *Theodoricus*, Horum *Alaricus* fuit. Exinde in *Hiſpaniam, Africamque* progreſſi, orbem ferè totum terrore perculerunt. Fusè & ſolidè id deducit *Lazius.*[e]

Quâ viâ Gothi in Pannoniam venerint?

Gothi confoederati Romanis.

Gothi diviſi in Oſtgothos & Veſigothos.

§. V.

Concluditur & probatur nativam Gothorum ſedem fuiſſe Sarmatiam.

Vidimus ſuprà ex AA. quos allegavimus & rationibus probatum. *Nativam Gothorum* ſedem, non fuiſſe *Sveco-Gothiam*, non *Teutoniam*, non *Sveviam*, non *Scythiam*, de quo diſtinctis egimus capitibus: nunc oſtendimus, non *Thraciam* neque *Daciam*, non *Pontum* & *Tanaim*, non *Pannoniam* & *Myſiam.* Supereſt quòd neceſſe eſt, ut ſedes genuina illorum inquiratur extra tot gentes, vicina tamen iiſdem. Cùm evidens ſit, Gothos ſicut propriam primò habuiſſe ſedem, ita Dacis, Germanis, Thracibus, cæteriſque ſuper recenſitis populis confines fuiſſe. Quærenda igitur in iis terrarum ſpatiis, quæ interjacent *Germaniam* ſeu Teutoniam, *Pannoniam, Thraciam, Daciamq;* inter & *Pontum in plaga Septentrionali*; Gothi quippe *Septentrionales* Europæ populi ſemper ſunt habiti. Et facile reperire eſt, Terram *utriusq; Poloniæ* cum adjacentibus Regno Provinciis; eæ ſunt *Ruſſiæ, Lietvania, Volynia, Pocutia, Pruſſia, Curonia, Livonia* &c. quæ Provinciæ ſimul junctæ nobis in hoc tractatu audiunt Sarmatia Europæa. Et certè, ſi illas nobiſcum quæ Septentrioni, ſubjacent excluſeris terras, nullæ aliæ eſſe poſſunt Gothorum ſedes, quàm Terræ Regni Poloniarum. Sed ſeriatim procedendum eſt per Provincias. De iis, quæ antiquam

Nativa ſedes Gothorum Sarmatia.

Bb proximè

a lib. 8. b. lib. II. c. 10. c lib. 27. d c. l. e lib. 10. ferè per tot.

proximè attingunt Pannoniam Daciamque, nullus puto ambiget: eas enim vectigales sibi fecerunt Gothi, quòd sanè facere non potuissent, nisi contermini iis fuissent. De reliquis, scil. utraque Polonia, Masovia, Livonia, Pomerania &c. difficultas aliqua suboriri potest, sed facilè probatur assertum ex *Cl. Ptolomæo*,[a] qui luculenter nobis hac in re patrocinatur: floruit is sub Antonino Philos. Rom. Imper. Ejus verba Lector accipe: *Tenent Sarmatiam gentes maximæ, Venedæ per totum Venedicum sinum. Et super Daciam Peucini & Bastarnæ, & qui totum Mœotidis latus Jazyres & Roxolani: & qui interiores sunt iis Hamaxobii & Alauni Scythæ. Minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Vistulam quidem fluvium, sub Venedis Gythones & Phini, post Bulanes, sub quibus Phrungundiones, post Avarini, juxta caput vistulæ amnis. Sub his Ombrones post Anatrophracti, post Bungiones, post Arsyetæ, post Sabori, post Piengitæ & Biessi penes carpatum montem. Iis omnibus Orientaliores sub Venedis quidem iterum Galindæ & Sudeni & Stavani usq. ad Alaunos. Sub quibus Igilliones & Cestiboci:* Ex quibus patet jam tempore Ptolomæi, *Venedas* gentem Sarmatarum maximam ad *sinum Venedicum*, qui nullus alius esse potest, quàm sinus ille maris, qui nunc dicitur *Mare Balthicum*, habitâsse cum *Phinis* & *Gythonibus*. Hi *Gythones* non alii intelligendi sunt populi quàm nostri, qui in partibus Orientalibus & Septentrionalibus, sc: in oris Pomeraniæ, Prussiæ, & Livoniæ &c. maritimis consederunt. Consentit his *Tacitus* c. l. qui *Gothorum* sedes trans *Lygios* ponit in confiniis *Rugiorum* & *Lemoviorum*. Per *Rugios* nulla alia gens intelligitur, quàm *Pomerani* hodierni, quorum sedes non tantum in Insula *Rügen*, sed & in *continenti Pomerania* fuit. Adjungit proximè *Gythonibus* & *Phinis* Ptolomæus *BULANES*, sub quibus *Phrungundiones*, & *Avarinos* juxta *caput Vistulæ* amnis collocat, tanquam ad illorum spectantes imperium. *Polonos* ego, utpote principalis Vistulæ amnis accolas, meritò intelligendos esse arbitror, ipsumque non aliter Auctorem intellexisse, cum & *locus & vicinia nominis sc. Bulani & Poloni*, conveniant. Totus itaque terrarum tractus, in quo Venedi Gothi, populosissimæ nationes habitârunt, universali vocabulo *Sarmatia* antiquis dicebatur. Quod autem in iis locis à Dacia tàm dissitis; scil. provinciis, quas mare Balthicum alluit, Gothicæ gentes habitaverint, ex reliquiis Venedarum, sive Vendarum, qui adhuc supersunt, prout lingva illorum id demonstrat, satis evidens est. Illa litora ab Holsatia per Meclenburgum, Pomeraniam, Prussiam usque ad extremam Livoniam ferè retinent nomen *Vendarum*. Hinc Reges Daniæ, Sveciæ, Principes Holsatiæ, Pomeraniæ &c. cæterique se *Dominos vocant Vandalorum*, qui Germanicè dicuntur **die Wenden.** i. e. *Vendæ*. videatur *Conrinus*.[b] Nulli autem hi *Vendæ* alii sunt, quàm illi antiqui *Venedæ*. Insuper demonstrant idem plurima loca *Livonica* quæ ipsum nomen Venedarum & memoriam nobis refricant, utpote *Venden*, *VVindau*, *Ubvende*. Hartknochius quidem vult hæc oppida ædificata à *Vinnone* Magistro Ordinis Ensiferorum in Livonia & à suo nomine, Vinnone, sic appellata esse: probatque id ex MS. Chro-

a lib. 3, c. 5. b de finibus Rôm. Imp.

Chronico Hoemeister. Verùm *Chronicum illud*, cùm sit incerti Auctoris, plurimasque in se contineat *fabulas* nihil contra nos agere hic potest, multò minus evincere. Quisquis enim Lingvæ Curonicæ non inscius est, fatebitur, voces illas, non aliud significare, quàm *populos Vendos, non* verò memoriam *Vinnonis*. Imprimis id clarum est, ex voce *Usevende*, quòd in lingva Patria denotat illos, qui *trans Vendar* incolunt. Neque tantùm *Prussia, Curonia, Livonia*, sed & *Pomerellia, Cassubia, Pomerania, Meclenburgum, Marchia Brandenburg, Luneburgum, Lusatia, Magdeburg, Vendis gaudebat incolis*. Patet id non solùm ex tot populorum Chronicis atque Historiis, sed etiam quòd Vendorum Werulorumque reliquiæ in iis sub hoc nomine reperiantur; quorum lingva longè à Teutonica diversa, moresque diversi Sarmato-Gothicam illam ostendunt indolem.

Argumentum non contemnendum suppeditat nobis etiam id, quod apud Antiquos de *Succino* legimus, nullibi *nisi in Prussia reperto*. Prussi autem Antiquis *Venedæ*, vel potius *Veneti* audiêrunt, confundentibus Poëtis *Venetos Italos* cum *Venedis Sarmatiæ populis*. Nimirum apud Venedos Prussos Succinum non procul à vicis *Bethen* & *Pobethen* olim & nunc in magna copia colligitur & effoditur. Hinc putant aliqui Italos, literas nominum *B* & *B D* & *T* confundentes, ut alluderent ad *Bethen* vicum *Venetos* ad *Padum* appellâsse. *Venedas* autem hos non alios quàm *Gothos* fuisse, confirmatur ex *Plinio*, [a] qui *Pytheam* magnæ virum Auctoritatis (is Judice H. Grotio [b] CCC. annis ante Christum vixisse creditum) allegat, *solos Gothos seu Gothones succini collectores* asserentem: Et quamvis vox Prussiæ, Pytheæ forsan ignota fuerit, nihilominùs tamen, cùm nullibi, præterquam in Prussiâ, illiusque vicinia, sc. in Samogethia ad mare Balthicum inveniatur succinum, utique non alia terra, quàm Prussia & Samogethia intelligenda est, Terra Gothorum propria. Consentiunt nobis *Æneas Sylvius*, [c] *Erasmus Stella*, [d] *Johannes Magnus*, [e] *Hugo Grotius*, [f] *Joannes Loccenius* [g] & alii, &c. Notandum de Prussis succini Collectoribus 1. quòd quos *Pytheas* Plinianus, Gothones vocat, eos *Tacitus* appellat *Æstios*: quibus quòd *mare scrutentur, atque soli omnium succinum in littore legant*, attribuit. Hos Æstios, prout refert *Jornandes*, [h] *Emericus* Gothorum Rex, non tam Marte quàm arte, hoc est insigni virtute prudentiæ subegit: quanquam relatum hoc Jornandis debili satis innititur fundamento: de quo alibi. Notandum, 2. Sequentibus seculis, eodem Gothorum nomine Prussos audiisse: potissimùm seculo XI. quo *Adam Bremensis* vixit, cujus vetus Scholiastes hæc refert: *Gothi à Romanis Getæ vocantur, de quibus Virgilius dicere videtur: acerque Gelonus*. Venedæ sunt Gothi.

Cum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sangvine equinô.

Hoc usq; hodiè GOTHI & Sembi (Samlender) *facere dicuntur, quos*

a lib. 37. c. 2. b In prolegom. ad hist. Longob. Gothor. & Vandal. c in descriptione Europæ c. 29. d Erasm. Stell. lib. 1. & 2. Antiq. Pruf. e lib. Histor. Gothor. Svecor. &c. c. 14. f c. l. g lib. 1. Antiq. Sveo-Goth. c. 1. h lib. 2. de Reb. Get.

quos ex lacte jumentorum inebriari certum est. Eodem seculo vixit Boleslaus Rex Poloniæ, cujus *Epitaphium* antiqvum, quod adhuc *Posnaniæ in Templo Cathedrali* legitur, inter cætera hæc habet.

Tu possedisti velut Athleta Christi
Regnum Slavorum, Gothorum seu Polonorum.

C. Hartknoch [a] in hoc secundo versu particulam *seu*, non esse *exegeticam*, sed pro *copulativâ* tanquam ab homine barbaro positam esse dicit: quamvis rationem in contrarium non videam; cùm totus Poloniæ tractus antiqua Gothorum fuerit sedes. Interim concesserim, successu dein temporis Gothorum nomen in Polonis desiisse, in Prussis autem viguisse: probabiliter eo sensu, quo tanquam homines pagani serviles & orbi Christiano contemptibiles habebantur & dicebantur: legimus enim, quòd Prussi gentiles etiam *Saraceni* dicti sint, in privilegio, quod dedit Ordini Teutonico *Conradus Dux Masoviæ Crusvicii* ante Pontes Anno 1230. die 3. Junij. De quo in Deliciis meis. Hoc sensu in Historia Polonica *Vincentius Kadlubko*, [b] *communiter Prussos vocat Getas.* Notandum 3tiò. Dum Prussos statuimus, dicimusque Gothos, non excludi ideò à nobis cæteros Sarmatiæ populos: *non* enim *soli Prussi* sed & cæteri Sarmatæ Gothi habiti dicti sunt. Nam I. palam & citra controversiam est, quòd *Gothi* seu Gothones sint vocati populi *ad Vistulam*, Tacito id testante. Conferatur Cluv. [c] Extra controversiam quoque est ab Antiquis, Gothos dictos esse, *Sarmatas* & *Scythas*, ut patet ex Procopio [d] Historico Auctoritatis sine omni exceptione magnæ qui ita ait: *Honorio Occidente præsidente, barbari illius rei invasêre regionem. Qui verò fuerint, & quomodo, dicam: Gothicæ gentes multæ quidem & aliæ priores fuêre, quàm nunc. Omnium autem maximæ & potentissimæ GOTHI* & *Vandali* & *Visigothi & Gepedes tàm dudum* & *SARMATÆ* & *Szelanchlæni apppellati* &c. *Qui omnes nominibus quidem inter se differunt, cæterò conveniunt. Nam & albi sunt omnes corpore, flavi coma, proceri quoque & aspectu probo, legibus autem iisdem utuntur. Similiter voce unica, Gothica appellata utentes, & ut mihi sanè videtur, ex una omnes gente procreati, nomina postea ab eorum Ducibus varia sortiti* &c. Conferatur *Eusebius* Auctor sat Antiquus in vita Constantini M. [e] Et *Baronius* [f] *Sarmatia quippe Europæa terminatur*, (verba sunt Ptolomæi c. l.) *à Septentrione Oceano Sarmatico, qui Venedicus est sinus.* De quo *Plinius* [g] ait: *quosdam tradere, hæc habitari ad Vistulam usque fluvium, à Sarmatis, Venedis, Scyrris, Hirris, sinum Chylipœnum, vocari.* 3. Quòd Gotho Sarmatæ non in littore sinûs Venedici sive Maris Balthici unicè consederint; sed terras Alanis, mediterraneis populis contiguas possederint. *Orosius* [h] disertis verbis id probat, qui *Gothis* assignat *terras contiguas Alanis ad Pontum Euxinum & Istrum amnem usque vagè habitantibus*; adeoque Gothorum ditiones extensas fuisse probabile est usque ad regiones Ponto Euxino contermi-

[a] differt. I. de Antiq. Pruss. populis. [b] l. 9. Ep. 3. lib. 4. 19. & alibi. [c] lib. 3. c. 34. [d] lib. 3. Goth. [e] l. 4. c. 5. [f] tom. 3. Annal Ann. 316. pm. 206. [g] lib. 4. c. 13. [h] lib. I. Hist. c. I.

terminas. Quare *Ælius Spartianus* [a] testatur, quòd illi Gothi venerint è *Sarmatia*, à *Ponto Euxino* & *Tanai* fluvio. Idem habet *Hieronym.* [b] Conferatur *Blondus* Decad. 1. Histor. quod quidem intelligendum est, *Gothos non ad ipsum littus Ponti, aut ripam Tanais*, sed in regionibus Ponto Tanaique conterminis, quæ sunt Sarmatiæ regiones, consedisse. Denique adstipulantur nobis doctissimi Viri. Imprimis *Jodocus Ludovicus Decius*, [c] *Paulus Piasecius*, [d] *Antonius Bonfinius*, [e] *Martinus Cromerus*, [f] *J. Sarnitius* [g] *Pastorius* [h] aliique plurimi.

CAPUT X.

De Sede Gothorum in SARMATIA, sive de Gotho-Sarmatis.

QUemadmodum Scythæ, ita *Sarmatæ*, alii sunt *Europæi*, alii *Asiatici*, ita eos Authoribus dividentibus. Videatur *Sarnitius* [i] & *Cluverius*. [k] Hujus divisionis hanc ego causam suspicor esse, quod Sarmatarum fines, usque ad *confinia Europæ* & *Asiæ*, scil. ad *Mæotidem* & *Caspium* mare, olim extensi fuêre. Aut quia Sarmatia, sub nomine *Scytharum*, quæ duplex fuit, ab antiquis Scriptoribus, imprimis Græcis memorata fuit. Sed cùm totus hic Tractatus noster respiciat Gothos Europæos, *de Sarmatis Europæis* tractandum nobis in præsenti est.

Sarmatæ alii Europæi alii Asiatici. Unde hæc distinctio? 1. 2. Modò de Sarmatis Europæis noster erit Tractatus.

§. I.

De Nomine Sarmatarum.

SArmatarum Nomen *Antiqvum* satis, quia *Beli* adhuc tempore, jam in usu fuisse videtur *Sleidano*, qui de quatuor Monarchiis in vita *Beli* asserit, quòd *Monarchiam suam latè extenderit usque ad Sarmatiam Europæam.* Sarmatæ Græcis dicti *Sauromatæ*, quòd nomen *Christianus Matth.* [l] & *Sarnicius*. c. l. interpretantur, quasi *Duces altitudinis*, quòd terra versus Septentrionem porrecta in altum assurgat. Alii nomen id deducunt è Græcis nominibus compositum, scil. σαῦρος, quòd est *lacerta*, *vipera* & ὄμμα, quòd est oculus, unde sentiunt Sauromatas à Græcis dictos esse, quòd lacertarum similes habuerint oculos. Conferatur *Guagnin.* in Sarmat. Apparet, trucem aspectu populum hunc, visum fuisse Græcis.

Nomen Sarmatæ Antiquum.

Unde dicti Sauromatæ? 1. 2. An à Græca voce composita σαῦρος & ὄμμα.

Inter Recentiores deductio hujus nominis variat. Sunt qui à Filio Gomer, *Thogarmat* dicto, eam haberi volunt; persuasi cum plerisque aliis, quòd is *Pater* fuerit, Satorque *Russorum* & *Lietvanorum*, qui sunt Sarmatæ. In quo consentire videntur *Herodotus*, *Mela*, *Plinius*. Cùm autem inter vocem Sarmata & Thogarmat, non tam facilis

3. An à Thogarmat derivanda vox Sarmatæ?

[a] in Anton. Caracall. [b] in quæstion. Hebr. in Gen. fol. 7. [c] in Corpor. Hist. Pol. Tom. 2. [d] in Chron. gestor. in Europ. singular. pm. 48. [e] Dead. 1. rerum Hung. l. 2. p. 33. [f] in Histor. Polon. [g] in Annal. [h] de Originibus Sarmat. [i] lib: 1. pm: 16. [k] l. 1. c. 4. Germ. Antiq. [l] in Theatr. Hist. V. p. 22.

cilis videatur convenientia, imò quædam dissimilitudo vocum ita illi difficultatem hanc conciliant. Dicunt enim, ut meus habet Dietzelius c. l. abjecta è Thogarmat voce innitiali Syllaba, (Hebræis *affixum* est) & commutatâ G. literâ in *S.* (quod Gothis & Sarmatis olim usitatissimum fuit,) prodibit vox *Sarmat.* Græcâ flexione, *Sarmatis*, Latinâ, *Sarmata.* Neque olim tantùm, sed etiam nunc frequentissimum id esse Sarmatis, ut has permutent literas, ostendunt sic: ubi *Samogethus* G. pronunciat, aut *Prus*, ibi *Livo* & *Curo S.* eloqvuntur. Ita illis Succinum *Gintars*, his *Sintars* dicitur. *Gerti*, illis bibere, his *Serti* sonat. Illis res viva est *Gywa*, Polonis *Zywa.* Illis & Lietvanis *gelasis* ferrum, *zelazo* Polonis & sic de aliis plerisque. Addunt, non infrequens olim fuisse populis contrahere vel abbreviare voces ad facilius pronunciandum. Firmant duplici argumento hunc sensum. Primum est; quòd posteriores ex Hebræis scriptores, Sarmatas Turcas, Thyssagetis Sarmatis vicinos hodiedum vocent Thogarmatis. *Secundum* est, quòd huic sententiæ favere videatur, *Locus Ezechielis*, [m] in quo Thogarmat populis, egregium *Equitatum*, præstantesque equos sacer Vates attribuit: tales autem Equitatus & Equi in Sarmatia, præ cæteris aliis regionibus reperiuntur. *Sarnitius* [n] istud vocabulum deducit à voce *Asarmoth*, qui fuit filius Eber, nepos Selach, pronepos Arphaxat, abnepos Semi, filii Noë. Opinionis illius est fundamentum potissimum, divisio lingvavam. *Nam* (inquit) *si singulis lingvis attribuitur suus Patriarcha, quomodo Lingva Sarmatica aut Slavonica proprio Patriarcha destituetur, unde sit propagata? cùm sit lingva copiosissima & in tot dialectos scindatur?* Inservire huic videtur sensui primus Veteris Testamenti Vates, qui divisiones populorum & terrarum secundum lingvas describit. Verba Textûs sunt: [o] *Ipsi quoque Eber nati sunt duo filii, nomen unius Peleg*, quia in diebus ejus divisa est terra. *Et nomen fratris ejus Joctan qui genuit Elmodat & Saleph & ASARMOTH & mox eodem capite. Isti sunt filii Sem, secundum familias suas, secundum LINGVAS SUAS IN TERRIS SUIS, IN GENTIBUS SUIS. Manifestè*, (inquit citatus modò Sarnitius,) *hic affirmat Scriptura divinitus inspirata, non semel, sed ter in uno capite, divisionem illam gentium secundum numerum lingvarum factam fuisse* &c. Sunt qui nomen Sarmatæ è voce Sarmatica deducunt. *Sarmata* Samogethis frequens in usu vox est, *tibicinem* denotat. Poloni pro dialecto hodierna efferunt *Surmez.* Frequens in bello tibicinum usus apud Sarmatas olim fuit. Sunt alii, quibus videtur vox derivari ab antiquo verbo Prussico, & Nadravico, *Sarmatæ*; quod *injuriam* significat. Sarmatæ scilicet nullâ se injuriâ affici patiebantur; & minimis lacessiti, multis se ulciscebantur injuriis contra adversarios suos.

Sunt adhuc, qui alludere volentes, ad Sarmatarum morem, quòd domicilia nulla olim stata habuerint, sed in carris & plaustris, sub diu victitantes, & tanquam feri commorantes, in patentibus campis, pruinam pati assveverint; à *Sarmuota* seu *Szarmuota*, i. e. *Pruinosus*, nomen Sarmatæ derivant. Sunt tandem qui nomen id à *saurometas* deducunt Samo-

Marginalia: 1. Ratio. — Permutant literas Sarmatæ. — 2. Ratio. — 4. An à voce Asarmoth, filio Eber, ut vult Sarnitius. Ratio Auctoris. Origo Gentis Sarmaticæ. — 5. An à Sarmata, voce Samogethica? — 6. An à Sarmatæ, voce Prussica? — 7. An à Szarmuota? — 8. An à Sauromet[as], voce Samogethic?

[m] c. 38. [n] lib. 1. Annal. p. 4. seq. [o] Gen. 10.

Samogethico. Vox hæc Samogethis Tyrannum agere denotat; alludunt hi ad Sarmatarum veterum truculentiam. Sed prædicti à num. 5. Nomenclatores, aliquomodo quamvis rem exprimere videantur, magis tamen ludere videntur in significatione vocum similium.

Mihi rectiùs videtur, nomen Sarmatæ derivari posse è Vetere Russorum & Prussorum lingva, à vocibus. *Sar* & *Mat* distinctis. *Sar*, pro quo hodie *Russi* & *Moschi* duriùs pro consvetâ sibi dialecto eloqvuntur *Cár*, olim notabat Dominum. Est hujus vocis usus adhuc in Moscoviâ & Tattariâ, ubi *Tattarorum Chanus* sive Dominus dicitur Cár & Sar. *Mat* verò *potentem* significat; unde *Macis* potentia est, etiam nunc Prussis & Samogethis: Poloni *moe* dicunt. Hinc Sarmata idem est, me arbitro, quod *Potens Dominus*: qui Titulus adeo adhuc frequens in usu est, etiam Provinciis nostris, scil. Poloniæ, Russiæ, Prussiæ, Lietvaniæ, Samogethicæ, ut non tantùm nobiles sed & ignobiles modò ditiores sint communiter audiant *Mosci Panie* i. e. *Magnifice Domine*, quasi *Potens Domine*: sensum enim duplicem habere videtur ea vox *Mosci*, ut & abbreviata, idem quòd *Milosciwy* denotet; & immutata, idem quòd *Mozny*; quod latiæ magis respondet voci. Commutare autem literas Polonis & confinibus nationibus usitatum est. Unde pro eo, quod Prussi & Russi dicunt *Kamarka*, *Prowa Katka* &c. Poloni, *Komorka*, *Prawo*, *Kotka* &c. pronunciant.

Vox Sarmatæ deducitur à vocibus Sar & Mat distinctis. Czar Russorum est Sar.

Mat potens.

Sarmata potens Dominus.

Mosci vox quid significet?

§. II.

De SCYTHO-SARMATIS & Situ Sarmatiæ.

SArmatæ antiquitus dicti sunt Scythæ, de quo Plinius (lib. 4. c. 12.) *Scytharum nomen*, inquit, *usque quaque transiit, in Sarmatas & Germanos, nec aliis prisca illa duravit appellatio, quàm qui extremi harum gentium ignoti propè cæteris mortalibus degunt.* Compertum quoque est, *Balthiam* insulam vel potius peninsulam dictam fuisse *Scythiæ insulam*; hæc autem tota est regio Sarmatiæ. Hinc Sarmatas *Scythas* olim vocatos fuisse, negari non potest †.

Sarmatæ sunt Scythæ.

Balthia Scythiæ Insula quæ Sarmatiæ regio.

Quis fuerit olim Sarmatiæ situs, Autores nobis demonstrant, quos refero, *Vipsanius* apud Plinium, *Ptolomæus* & *Solinus* & cum iis *Jornandes* initio rerum Gothicarum, faciunt ab occidente *Vistulam*, terminum inter Sarmatiam & Germaniam. Atque ita, juxta prædictos Auctores, quæ sunt cis vistulam regiones (vivimus hìc in Pomerellia) ad Germaniam; quæ trans Vistulam ad Sarmatiam pertinebant. At quàm graviter erraverint Viri citati, situs hodiernæ monstrat Poloniæ quæ utramque Vistulæ ripam complectitur & olim complexa est; quam tamen semper pro Sarmatia habitam esse, plusquam certum est, nemine è Scriptoribus contradicente. Quod si è lingva Sarmatica, Sarmatia sit æstimanda, nuncupandave; Polonia ad utramque ripam propriissimè dicenda erit Sarmatia, in qua nominata lingva usque nunc floret, semperque floruit. Ad lingvam verò Sarmaticam, non sola hìc Polonica, sed & cæteræ referendæ lingvæ, ut sunt Venedica seu Vendica,

Sarmatiæ situs ad sensum Veterum Authorum.

Vistula Terminus Germaniæ & Sarmatiæ habitus.

Lingva Sarmatica, quibus variat dialectis.

† Videat. Cluv. l. 1. c. 2. pm. 29.

Vendica, Herulica seu Verulica, Prussica, Curonica, Lietvanica, Russica, Bohemica, Slavonica, Dalmatica, Croatica &c. quæ nomine tenus, & dialecto inter se diversæ, reipsa unam constituunt cum Polonicâ lingvam: utpote quæ eadem ferè habent vocum suarum primitiva, de quo in Tractatu de Lingvâ Gothicâ fusiùs. Argumentum hoc ex lingvâ petitum, jubet nos Veteris Sarmatiæ terminos ulteriùs extendere ab *occidente*, scil. ultra Vistulam ad *Albim* fluv. & ultra; nam eousque lingvam gentemque Sarmaticam se extendisse inferius probabimus. Quare *orientales* Sarmatiæ termini, secundum *Plinium Melam* & *Herodotum* erunt loca circa *Mœotidem* paludem *Tanaim* & *ultra*; ubi *Turcarum Sarmatarum* aliorumque ad *Hippicos* montes & *Thussagetharum*, & *Acarocantarum* & *Regiorum* sedes à Veteribus positæ sunt.[q]

Sensus Authoris de Sarmatia finibus.

A *Septentrione Oceanus Glacialis Sarmaticus*, unà & *Mare Venedicum* terminabit. *Meridiem* Danubii pars *Dacia* & *Pannonia* occupabit. Ab *Occidente* minimum erit Terra *Cheruscorum*, quorum nomen ex Sarmatica derivabile est, atque idem significat, quod Scriptores, in descriptione terræ illorum, nobis proposuerunt. De quo alibi. Hac ratione Sarmatia nostra non tantùm complectetur *Poloniam utramque* & *Lietvaniam*, verùm etiam *Volyniam*, *Podoliam*, *Pocutiam*, *partem Hungariæ, ejusque adjacentes provincias, Moldaviæ*, item *Russias*, *Prussiam*, *Livoniam*, *Curoniam*, *Samogethiam*, *Pomeraniam*, *Meklenburgum*, *Marchias Brandeburgicas*, *Lunenburgum*, *Magdeburgum*, *partem Vestphaliæ*, ut & *Lusatiam* Provincias; *partem Saxoniæ*, *Misniæ*, *Silesias*; item *Bohemiam*, *Moraviam* &c. Certè Tractum Terræ à *Cheruscis* usque ad *Mœotidis* & *Tanais* confinia. Hos terminos statuit nobis nativa & sine interruptione temporum, iis in locis usitata, semper ac permanens lingva Sarmatica. Et quamvis in nonnullis modò memoratis Provinciis, ex commixtione populorum, etiam facta sit commixtio, aut potiùs confusio, imò destructio lingvæ Sarmaticæ, ut in Pomerania, Meklenburg, Lunenb. Brandeb. Lusatia, &c. aliisque Provinciis; attamen olim fuisse Sarmaticam, nec penitus ibi exstirpatam esse, luculentissimè probant *Vendi* & *Veruli*, in his provinciis adhuc commorantes, quos antiquissimos harum provinciarum inquilinos à Saxonibus, propter fidem Christianam disturbatos, *Chronica* horum populorum testantur, & ipsa *lingva Vendorum*, quæ eadem cum Sarmaticâ est. Consentit *Antiquitas*. Ipse *Tacitus* fateri debuit, Germanos non certis terminis sed *mutuo metu* & *montibus* à Sarmatis separatos vixisse. Scilicet Sarmatarum potentia antiquitùs & ante Saxonum tempora longè major erat, quàm Teutonum: Quippe Sarmatas Jazyges ad Rhenum usque penetrâsse certum est, (unde nomen Sarmatarum Cis-Rhenanorum apud Berosum & alios Autores exstitit) quibus arva non procul *Noviamago*, temporibus *Constantini* & *Maximiani* Imperat. attributa sunt.[r] Iis ergo supra memoratis Provinciis dominabantur Sarmatæ, usque dum intestinis, atque exteris bellis attriti, succrescente Germanici Imperii potentiâ, nonnullas ex iis amiserunt; atque ita Dominii sui terminos coarctârunt.

Sarmatiæ amplitudo.

Coarctata Sarmatia.

§ III.

q Sarnit. c. I. r Videatur Cluv. l. 20. 14.

§. III.
De Oceano Sinuque Sarmatico.

Oceanus Sarmaticus quis?

SItus *Sarmatiæ*, ut tantò meliùs cognoſcatur; *Oceani Sinusque Sarmatici*, hiſtoricam neceſſe eſt, habere notitiam, ſine qua plena Sarmatiæ cognitio haberi non poteſt. Juvabit ergo primò referre ea, quæ de *Oceano* Scriptores habent *Sarmatico*. Pars illa eſt *Oceani Hyperborei*, qui quà ſe effundit in Aſiam, *Scythicus*; quà in Sarmatiam Europæam, *Sarmaticus* plerumque dicitur Authoribus. Scythicus Oceanus ab *Hecatæo*, *Amalchium* mare, à *Pytheâ* Pliniano, *Concretum* ſive *Congelatum* dicitur. *Tacitus pigrum* mare nominat. Satyrico Poëtæ,[s] *Oceanus glacialis* audit. Pro Geographicâ hujus Oceani notitiâ, juxta antiqua tempora, ſciendum eſt, quæ *littora* à Veteribus Sarmatico Oceano aſſignata ſint. Nimirùm à Promontoriô *Juthlandicô* uſque ad Promontorium *Nordkin*; ab hoc verò ad *Sinum Album*, qui pars olim maris Chronii fuit & ultrà.[t]

Sinus Sarmaticus quis? Idem cum Venedico. *Populi ad ſinum hunc.* *Ptolomæi deſcriptio ſitus Sarmatiæ.* *Plinii ſenſus de ſenſu Venedico.* *Sinus Venedicus ex ſenſu Cluverii.*

De *Sinu Sarmatico* hæc dicenda veniunt. Celebris apud A. A. hic ſinus eſt, idem cum *Sinu Venedico*, quòd ad ejus littora *Venedæ* potiſſimùm habitârint; quamquam & *Scyrri* & *Hirri* habitârunt; fuitque habitus pars Oceani Sarmatici. Ita *Ptolomæus* in deſcriptione Sarmatiæ Europææ: *Sarmatia*, inquit, Europæa terminatur à ſeptentrione oceano Sarmatico, quà Venedicus eſt Sinus. De eodem *Plinius*[u] ita: *Quidam*, inquit, *tradunt hæc*; *habitari viſtulam usque fluvium à Sarmatis*, *Venedis*, *Scyrris*, *Hirris*. Sinum *Clilypenum*, (aliis Kleipedanum) *vocari & in oſtio ejus inſulam* Latrin, *mox alterum ſinum* Lagnum, *conterminum Cimbris*. Sinus hic Venedicus eſt vel *Mare Balthicum*, vel pars ejusdem, ſecundum reſtrictionem Cluverii c. l. qui hunc Sinum, quà Venedicum tantùm, terminari vult ab oſtio viſtulæ, uſque ad Narvæ amnis oſtia. Conſentit & Hartknoch.[w] In hoc ſinu iterum reperiri ſinus duos, alterum *Clilypenum*, alterum *Lagnum* aſſeruit ſuprà Plinius. Per Clilypenum cum Cluverio Hartknoch *Livonicum*, ſivè *Rigenſem* ſinum intelligit, in quo Inſulam *Latrin* vult eſſe Inſulam *Oeſel*. Per alterum verò ſinum, vel potius *Fretum* maris Balthici inter Inſulam *Zeeland* & *Finen*, in quo eſt Inſula *Langeland*. Sed hæc minimè cohærere ſibi videntur. Si enim ſinus Venedicus oſtiis Inſulæ & Nerviæ terminatur ſecundum Cluverium, ſinus, in quo Inſula Langeland jacet, non poteſt eſſe pars ſinus Venedici, eò quòd Inſula Langeland non in Sarmatico aut Venedico Oceano, ſed in *Germanico* juxta Inſulam Finen reperiatur. Aut ſi Langeland in Venedico reponatur Oceano, terminos Venedici ſinus neceſſariò Cluverius extendere debebit ad Holſatiam uſque & ſinum vulgò Cimbricum non ad viſtulæ oſtia: Inſiſtendo autem terminis ſinui Venedico poſitis à Cluverio, meliùs puto per ſinum Clilypenum intelligi *Sinum Pruſſicum* à Promontorio *Heel* uſque ad *Memelam*, & alterum ſinum *Lagnum* eſſe ipſum ſinum *Rigenſem*. Iſtic habentur *Nereæ* Inſulæ in oſtio ipſius ſinûs.

Refutatur.

[s] Juvenali. [t] Vid. Cluverius. c. l. [u] lib. 4. c. 13. [w] diſp. 2. n. 6.

Vox Clilypeni. *Kleipeda, Memela civitas.* *(Curonica dicitur) Insul. Nerea, vulgò die Churische Nerung. Sedes olim Pyratarum.*

nûs. Videtur autem Nomen Clilypenum desumptum esse à sinu Maris, qui est ad *Memelam* Civitatem, quæ usque hodiè lingva Prusso-Nadravica & Samogethica *Clipeda* dicitur: facilè verò, apud ignaros lingvæ Prussicæ, nomen Clcipedæ in Clilypen permutari potuit. In hujus sinus Memelensis ostio est insula *Nerea*, (Curonica dicitur, quæ olim una & continens terra fuit cum *Neria Dantisana*) Sedes olim Pyratarum, de quo in deliciis Antiquit. Pruss. Et ideò dicta à Plinio hæc insula Latrin, quòd hoc nomine alludere voluerint incolæ ad Pyraticam olim Insulanorum, quibus *Peucini*, *Fenni*, seu *Vinæ* Pomeraniæ ac Pomerelliæ se conjungebant. De quorum latrociniis ita Tacitus cit. loc. *Nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* Et verò nomen id *Latrin* tale quid in lingva Sarmatica, i. e. Polonicâ, Russicâ, Samogeticâ, Prussicâ &c. denotat: (Salvâ cujusque lingvæ dialecto) denotat enim locum prædonum, qui Polonis *Lotrzynia* dicitur. *Lagnus* verò vox apud prædictos Sarmatas, scil. Prussos & Samogethas denotat *amplitudinem*, deducta à *langus*, quòd est *amplum*, *spatiosum*, *latum*. Atque talem se exhibet *sinus Rigensis*.

Latrin quid? *Lagnus quid?*

§. IV.
De Sarmaticis & Venedicis Montibus.

MOntes Sarmatici, secundùm Ptolomæum * ab Occidente Germaniam terminant, inter Vistulam & Danubium. Hodie dicuntur ij montes *Carpati*, lingvâ Patriâ *Karpak & Krepak*; disterminantque Poloniam, Russiam rubram, ab Hungariâ hodiernâ & Transylvaniâ. Hos montes *Solinus* ʸ appellat *Sarmatarum rupes*. Videtur equidem Ptolomæus distingvere montes Sarmaticos à montibus Carpatis, ita citato loco inquiens: *Sarmatia Europæa terminatur à meridie Jazygibus, Metanastis, ab austrino Sarmaticorum montium fine, usque ad initium Carpati montis.* Sed ut verum dicam, Ptolomæus malè à suis Referendariis informatus, hæc asseruit; utpote qui supremum montis jugum, quod Polonis & Slavis dicitur *Tatri*, Hungaris *Tarczul*, Germanis **Schneeberg** à continuis nivibus; omiserunt, montemque Carpatum ad austrinum Sarmaticorum montium latus posuerunt, cùm tamen hi montes à *Maro* fluvio, usque ad *Alutæ* fontes continuo conjungantur jugo.

Montes Venedici.

Montibus Sarmaticis *Venedicos* conjungere visum est è re, quoniam ipsi Venedæ Sarmatis conjuncti fuère natione & lingvâ; quod supra ostendimus. Et Ptolomæus Montes Venedicos in Sarmatia collocat, & quidem in *Prussia*, quæ est Sarmatiæ Provincia. Videatur Cluverius l. c. Situm horum montium ponit Ptolomæus in mediterraneis Prussiæ; ubi quod sciam nullum montium jugum est, vix collium: nisi velimus dicere, montes esse illos, qui ad littus maris Balthici, præsertim in Neriis utrisque eminent. Sed montes hi colles potiùs dicendi sunt: aliàs in totâ Prussiâ nulla sunt aliorum montium juga,

* lib. 8. ʸ c. 23.

juga, quamvis celebres apud Scriptores reperiantur monticuli. E quibus primus occurrit Mons *Galgarben*, in quo olim tempore Ordinis Teutonici, *specula* habita est, quâ irruptiones Samogetharum & Lietvanorum in Prussiam à longè prospiciebantur. Celebratur & ille Mons, qui est prope **Neidenburg**, dictus *Mons Aureus*, **der Golt-Berg**. Item *Mons* non procul ab *Olecky* situs, unde cum sudum est cœlum ad viginti milliaria posse prospectum ferri, dicitur communiter. Ita Henneberg [z] Verùm hi montes, vix merentur nomen collium respectu montium Carpatiorum; adeoque monticuli illi, qui in Neriis, præsertim Curonensi & qui à Nerva ad Memelam, à Memela ad Sarcaco & deinde per Neriam Dantiscanam, tractu ferè continuo ad littus Maris Balthici reperiuntur, hìc sunt intelligendi. Quæ omnia si diligenter conferantur, facilè situm Sarmatiæ, quem hìc posuimus, perspectum habere Lector poterit.

Monticuli Prussiæ.
M. Galgarben.
M. Aureus.
Olecensis Mons.
Montes Nerienses.

§. V.
De Vistula principe fluvio Sarmatiæ.

DE *Vistula*, qui est Nobilissimus Sarmatiæ, Princeps Poloniæ fluvius, suprà innuimus, ubi de variatione nominum inter Auctores egimus. Et certè multùm variat nomen illius inter Veteres & Neo-Scriptores. Plinio Solino & Jornandi *Vistula* communiter dicitur. Plinio etiam *Vistillus*. Jornandi etiam *VViscla*. Melæ dictus est *Visula*. Ptolomæo *Vistulas*. Marcellino *Bisula*. Aliis *Istula* & *Justula*. Cluverio videtur, Vistulam vocatum esse *Eridanum* à **Radaun** fluvio qui in Vistulam illabitur. Rectenè? judicet prudens Lector. Mihi sanè rectiùs videtur, idem de Vistulâ dici posse, quod de Eridano Poëta: Fluviorum Poloniæ imò totius Sarmatiæ Rex Vistula. Scilicet qui tot aliis, quot nullus alius in totâ Sarmatiâ, augetur undarum fluentis, etiam navigabilibus: qui tot Regni Poloniæ Provincias, urbesque nobiles & alluit & ditat: qui tam frequenti incolarum navigatione, uti Regno percommodus est, ita dives efficit *Dantiscum*, insigne Maris Balthici Emporium. *Albertus Gvagninus* putat Vistulam fluvium dictum fuisse *Vandalum*, à Vandalis qui maximam Sarmatiæ partem incolebant. *Germanis* hodiè dicitur **die Weissel**/ item **Weichsel**/ item **die Wyssel**. Cæteris Regni nostri Provinciis, scilicet, Russis Prussis, Samogethis, præter Polonos *VVisla*. Ex his tamen cæterisque fluminis hujus denominationibus illam probamus & eligimus, quâ Sarmatæ hodie utuntur, utpote antiquissimam & nativam, scilicet *VVisla*. Eam autem à Sarmatis acceptam esse, adeoque ab illorum lingvâ derivandam, plusquam certum est. Varii tamen variè nomen hoc deducunt è Lingvâ Sarmaticâ. Sunt, qui è Polonâ voce *VViosto*, sive Russico *VVysto* i. e. *Remus*, deductum putant: quòd nimirum fluvius hic primò & principaliter fuerit navigabilis à Polonis in regno suo: cæteris fluminibus non ita visis ad navigandum idoneis. Navigantibus autem potissimùm minoribus navigiis, ut sunt lembi & cymbæ, nihil

Variat Nomen Vistulæ.
An Eridanus?
An dictus Vandalus?
Wisla Nomen nativum Vistulæ.
An à Wioslo vel Russico Wyslo i. e. Remo, prodierit?

[z] in Explicatione Tabul. Pruss. verbo Olecky.

nihil magis opus est quàm remo. Et, remigibus Polonis mos est, ut è loco litorali moturi hâc se voce clamosiore incitent ad navigandum: *Ad Remum Socii, ad Remum*, i. e. *do wiosla*, vel ut Russi dicunt, *do wisla Bracia*. Sunt qui ab iisdem Polonis nomen acceptum putant sed hoc eventu. Acciderat ut è nimiâ anni siccitate totus hic fluvius propè fontem planè, alibi majori ex parte siccaretur, reddereturque ad navigandum ferè inutilis. Res mira & notanda incolis tùm qui superiùs, tùm qui inferiùs incolebant flumen, sæpiùs in ore versabatur; inde nomen venit fluvio, ut non aliter audiêrit, quàm ille fluvius, qui exsiccatus est: quod Polonis sonat *VVyschla Rzeka*. Interim non disputo, an nomen aliud ante habuerit: dato enim habuisse, ab hoc eventu notabili mutatum esse crediderim. Sunt qui ludant magis, in origine nominis, quàm seriò illam proponant, putantes à Polona voce wyszla illud desumptum esse hoc modo: Interrogati sæpius Poloni hoc nautæ qui superiùs incolebant flumen, ab iis qui longè inferiùs, de fonte sive origine fluminis: *undenam exiverit*? i. e. zkad wyszla ta Rzekia? iisque respondere nesciis, locumque originalem fluminis designare; aucta est tantò magis curiositas hominum in indaganda illius origine; unde sæpius repetebant eadem verba interrogantes undenam exiverit? zkad wyszla. Hinc nomen, ut putatur à Mazoviis, datum fluvio. Sed hic est lusus ingenii me judice: mihi probabilius videtur, nomen hoc Poloni fluminis è Gothicâ lingvâ veteri pervenisse: Wisla Gothis flexuosum aquæ decursum instar sinuosi serpentis denotat. Volebant puto Antiqui ad similem meatum Vistulæ alludere, eumque hac voce exprimere. Et sanè flumen hoc sinuosum esse, experimur ipsi, obliqvum illius spectantes alveum.

An à Wyschla Polono verbo?

An à Wyszla, altero Polono verbo?

Wisla nomen quid significet?

§. VI.

De Populis Sarmatiæ ad Istulam fluvium sitis.

AD hunc fluvium plurimas consedisse Gentes, plures testantur Auctores. Plinius præter *Sarmatas*; *Venedas*, *Scyrros*, *Hirros*, Vistulanos recenset accolas. His addit Ptolomæus *Finnos*, quos in limitibus Sarmatiæ & Germaniæ collocat, in quo adstipulatur illi Cluverius, in eodem loco Finnos collocans. Jornandes ibidem *Burgundiones* reponit, quos deinde *Gepidæ* ejecerunt, sedesque eorum ad Vistulam occupârunt. Insuper ad hoc flumen legimus consedisse *Vidiarios*, qui *Cluverio* & *Hartknoch Viridarii* dicuntur, quasi **die Werderischen**/ i. e. *Insulani*: scilicet, quòd ad littus Oceani habitarent, ubi tribus faucibus fluenta Vistulæ fluvii elabuntur. His ad partem Aquilonarem confines facit *Æstios* citatus Jornandes, ad Australem verò *Agazirros*, teste Cluverio. Ibidem videtur posuisse *Herulos*, quos cum Gothis & Sarmatis unius fuisse stirpis dicit, iisque *Antes* & *Slavos* adjunxit. Imprimis verò Sarmatarum nomine, quos Plinius ad Vistulam locat, veniunt *Bulani*, qui hodie, ut arbitror, Poloni sunt, meritò inter omnes Istulanos populos primi recensendi, quòd majorem partem fluminis ipsum-

POPULI VISTULANI Sarmatæ, Venedæ, Scyrri, Hirri.

Finni.

Burgundiones.

Gepidæ.

Vidiarii.

Æstii.

Agazirri.

Heruli.

Antes, Slavi.

Bulani.

ipsúmque propè fontem occupaverint. Præter hos, quos hactenus recensuimus, plures alios ad Vistulam populos, licet illorum nomina non expresserint Authores vel non notaverint sedes, fuisse probabile est: Certum autem prædictos omnes ad *Gothos* esse referendos, prout ex dictis patet & ex modò dicendis patebit.

§. VII.

De aliis Sarmatiæ populis, qui pro Gothis habiti sunt.

NOmine Sarmatarum plures veniunt populi, qui originetenus omnes fere Gothi, vel pro Gothis habiti sunt. Patet id ex Romanis Scriptoribus: quos enim Eutropius [a] *Carpos, Bastarnas*; quos Aurelius Victor [b] *Marcomannos, Quados*, quos alii *Scythas, Alanos, Bastarnas* nominant (qui omnes erant Gothiæ populi) hos *Pomponius Lætus* [c] vocat Sarmatas, bellumque cum iis gestum vocat Sarmaticum. Vopisco [d] *Gepidæ, Gautinni, Vandali*, sunt Getæ, pariter & Sarmatæ. Ammianus Marcell: [e] scribit Julianum Cæsar. debellâsse Gothicos populos, ob eamque victoriam dictum esse *Sarmaticum*. Certum quoque est, tempore Tyberii, *Gothos* cum Dacis Mœsiam occupâsse; quos tamen Svetonius [f] vocat Gentem *Sarmaticam*. Aurelianum refert citatus Eutropius, [g] vicisse Gothos strenuissimè: quos Vopiscus in Aureliano dicit esse Sarmatas. Ex his patet, prædictos populos unius originis uniusque lingvæ fuisse, licet non ejusdem loci vel Provinciæ; quòd multitudinem gentis locorum angustiæ non caperent: aut confines saltem fuisse populos, qui ad Sarmatiam amplo sensu referendi sunt. Ptolomæus [h] maximas plurimasque gentes recenset Sarmaticas cum inquit: *Tenent Sarmatiam gentes maximæ, Venedæ per totum Venedicum Sinum. Et super Daciam, Peucini & Bastarnæ, & qui totum Mœotidis latus, Jazyges & Roxolani, & qui interiores sunt iis Hamaxobii & Alauni Scythæ. Minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Vistulam quidem fluvium; sub Venedis Gythones & Phinni, post Bulanes, sub quibus Phrungundiones, post Avarini juxta caput Vistulæ amnis, sub his Ombrones, post Anatrophracti, post Burgiones, post Arsyetæ, post Sabori, post Piengitæ & Biessi penes Carpatum montem. Jis omnes Orientaliores sunt sub Venedis quidem iterum Galindæ & Sudeni & Slavani, usque ad Alaunos, sub quibus Igilliones & Cestiboci.* En, quot Sarmatiæ gentes? nondum tamen omnes ab Auctore sunt recensitæ. Scimus enim fuisse *Æstios*, qui Cassiodori ætate succinum colligebant, præter alios, de quibus in sequentibus, Sarmatiæ populos. Et quamvis hæc populorum nomina in præsenti periêrint, vel mutata sint, non ideo suspectam tanti Geographi auctoritatem habere debemus. Sæpius enim variantur populorum locorumque nomina; pro varietate Principum; aut placito vulgi: quod, ut Poëta canit:

Gothi & Sarmatæ sunt unius originis & lingvæ.

Sarmaticæ gentes Ptolomæi.

Mobile mutatur semper cum Principe.

Ubi enim nunc illa, quæ antiqui Scriptores loqvuntur nomina?

[a] In breviario lib. 9. [b] in Cæsar. [c] in Dioclet. [d] in Probo. [e] lib. 24. [f] in Tiberio. [g] in Aureliano. [h] lib. 2. Geograph.

Ubi illi *Hermunduri*? *Usipetes*? *Ubii*? *Semnones* celebres olim populi? Certum itaque est, longè plures fuisse confines Sarmatis Gentes, sed quæ non omnes nobis ex Historiis patent, propter non accuratam illarum descriptionem: hinc nostrum erit, eas tantummodo referre & in sequentibus proponere, quarum notitiam è Scriptoribus habere poterimus.

§. VIII.

De Reliquis Sarmatiæ populis.

Ad Sarmatas referuntur. Carni. CElebres olim Sarmatiæ populi *Carni* erant, ob aurifodinas, quas habuerunt, celebres. Eorum sedes fuisse in *Carinthia* & comitatu *Goricensi*, quæ est Provincia Augustissimæ Domui Austriacæ subjecta, fertur à nonnullis. Eò usque Sarmato-Gothi suos extenderunt limites, de quo videri potest Lazius.[i] *Carnucii.* Præter hos fuêre *Carnucii*, confines Sarmatis Jazygibus. De iis Plinius[k] habet, quòd ad Danubium usque & Pannonias suas extenderint sedes. *Unde nomen populi?* Obiter hic noto Originem nominis, quam & *Ern. Dietzelius* probat, è lingva Sarmatica profectam esse: dictosque *Carnucios*, à vestibus, quas ex corticibus arborum parabant: prout usque nunc in Samogethia, vocantur illi, qui ex corticibus tiliæ vel alius arboris ad id idoneæ, calceamenta conficiunt, vel iis utuntur. *Osi.* *Osi* insuper Sarmatis accensentur, quos nimirum Sarmatæ sibi subegerant. Eorum sedes non procul à Quadis, quorum terga clauserant, unà cum Gotinis, quos Dio Kotinos, vocat. *Gotini.* Tacitus Osos & Gothunos tributarios dicit Quadorum & Sarmatarum, quod palam est, utrosque confines fuisse Sarmatis, aliàs iis tributum imponere non potuissent Sarmatæ & Quadi. Osos Cluverius ponit ad Viadrum à Septentrione; ad Marum, ab occidente in Ducatibus Oppelen & Ratibor Silesiorum; putatque non tam Sarmatarum, quàm Quadorum fuisse tributarios; ego tamen puto, quòd, cùm Quadi ad Gotho-Sarmatas referantur, omni jure Tacitus & illorum & Sarmatarum dicere potuerit tributarios. *Situs Osorum.* Propriè tamen ad montana Moraviæ, ubi ferri fodinæ reperiuntur, ponendos esse judico; quòd illi cum Kotinis ad id mineralis effodiendum adigerentur: præsertim quia Ptolomæus hisce populis *Pariennæ* locum adscribit, quem cit. Cluverius *Bern* seu Brin Moraviæ oppidum esse putat. *Unde nomen Osi?* Unde autem hoc nomen Osis venerit, non eadem mens Eruditorum est; communis tamen, ex lingva Sarmatica illud derivandum esse. Unde quidam deducunt ab Ossa, quod in Polonica lingva Vespam denotat, eo argumento moti an conjecturâ, quòd olim insolenter hi populi molestique vicinis fuerint; Hinc dicti Osi, quasi Ossii, i.e. Vespæ. Et certè adhuc Sarmatis in usu est, nomina ex similibus rerum argumentis tum sibi tum aliis imponere. Ita legimus apud *Illustrissimum Sobiescium* lib. de bello Chotinensi[l] primo. Quòd Cosaci Petro Kunaszewicio, Generali suo *Sabaydaczny*, militare cognomen à pharetra ductum; Alteri autem temulento ac ignavo, maleque suos tractanti milites, *Borodawka*, quod

Verru-

i l. 6. de Migr. Gent. k l. 4. pm. 95. l pm. 55.

Verrucam notat, indiderint. Si nobis conjecturare fas esset, possemus illud nomen deducere ab *Usy*, quæ vox Latinis *mystaces* significat, (Poloni quoque vasy dicunt.) Ita adhuc in Samogethia dicuntur *Usai*, & *Usoczai* qui oblongos gerunt mystaces. Ita *Longobardos* à *longis barbis* deducere non verentur quidam apud Paul. Diacon. [m] similiter & Osos puto ego, ab aliis Sarmatis ita vocatos, nomen hoc retinuisse. Neque insolens est populis à talibus rerum argumentis nomina desumere.

His tandem annumerandi sunt *Gotinni*, ut Tacito dicuntur, vel, ut Dioni, *Kotinni*, nostrorum Gothorum confines, tantummodo ad ferri fodinas, operasque serviles adhibiti. Et probabile est, illos non proprio nomine Gothos sed Kotinos dictos esse; pro hodierna Samogetharum dialecto *Kudini* dici deberent: quo vocabulo miseri ac serviles homines non solùm à Samogethis sed & Prussis & Lietvanis &c. nuncupantur. Quare non incongruè Cluverius c. l. c. 31. assignat iis locum ad fines Poloniæ, Silesiæ & Moraviæ.

Gotinni seu Kotinni.

Unde nomen hoc?

§. IX.

De Jazygibus Sarmatis, eorum Situ & Fortitudine.

CElebre quoque Jazygum Sarmatarum, nomen fuisse olim, constat ex Scriptoribus. Meminit illorum *Ptolomæus*. [n] *Tenent Sarmatiam Gentes maximæ Venedæ -- Mæotidis latus Jazyges & Roxolani*, &c. Meminit eorundem *Strabo*, [o] ubi inquit: *Suprà jacens regio universa inter Borysthenem & Istrum, primum est Getarum solitudo; postea Tyragetæ, post hos Sarmatæ Jazyges, & Basilci & Urgi.* *Plinius* [p] ita de illis: *Superiora autem inter Danubium & Hercynium saltum, usque ad Pannonica hyberna Carnucii, Germanorumque ibi confinium, campos & plana Jazyges Sarmatæ, montes & saltus pulsi ab his Daci. Ex adverso Bastarnæ tenent.* E sensu Auctorum, quos citavi, videntur Sarmatæ Imperii sui habuisse fines, Russiam, Hungariam & Transylvaniam, quare Cluverius & Blancardus, in ea, quæ inter Danubium & Tibiscum fluvios sita est Hungaria, (superior modò dicitur) hos Sarmatas collocat. Sed num Veteres Geographi certam horum populorum notitiam, quo situ inter se conjuncti vel disjuncti fuerint, habuerint, meritò dubitatur; præsertim cùm ipse Plinius c. l. se non certam habere horum locorum notitiam fateatur.

Jazyges Sarmatæ.

Nomen Jazygum apud Recentiores variat. Albertus *VVijugKojalowicz*, [q] vocat illos *Jatwiegos* & *Jatwingos* & *Jazyges*. Apud *Petrum à Dysburg.* [r] Terra Jazygum vocatur *Jazwingia*, & habita est pro parte *Rusſiæ* seu Lietvaniæ. Cluverius [s] refert *Jazyges* dictos fuisse *Vagos*. Sed num ita dicti sint, quòd vagabundi fuerint, an quòd ad fluvium Vagum degerint, incertum est. Unde Jazygum Nomen propriè sit derivandum, non facilè dixerim. Videtur mihi, hîc errorem lingvæ aut vocis vitium irrepsisse, ut pro *Gasſijes*, Jazyges dicerentur. *Gasſijes* autem

Nomen Jazygum apud Recentiores variat.

Jazyges Vagi.

m lib. 1. cap. 9. n l. 3. c. 5. o l. 7. p c. l. q part. 1. Hist. Lietv. lib. 4. pm. 120. r in Chron. Pruss. part. 3. c. 3. s l. 2. c. 14.

autem dicuntur Lingva Gotho-Sarmatica ii, qui aliis ſunt terribiles, à *Gaſſu*, *Gaſtu*, quòd *gandum primitium* habet, *Terrex* ſignificet. Et ſanè ſat hæc fuit gens terribilis, vicinis & hoſtibus.

Situs terræ Jazygum. *Situs* Terræ Jazygum communi ſententiâ fuit eò loci, quo nunc eſt Podlachia. *Joachimus Paſtorius ab Hirtenb.* [t] ponit Jazyges etiam in Pruſſiâ, quà Lietvaniæ jungitur ad Terram Samogetharum. Mea conjectura eſt, olim Jazyges in Confiniis Ruſſiæ & Hungariæ hodiernæ nativas ſuas & antiquas ſedes habuiſſe: Dicit enim Tacitus. Jazyges Sarmatas proximos per campos vagos auxilio veniſſe *Vannio* Regi Quadorum, gentis cum Marcomannis & Bohemis unius. Quod ſanè facere nunquam potuiſſent, ſi non fuiſſent contermini iisdem. Conſentit *Dio* [u] qui Jazygibus conterminos facit *Svevos*, *Quados* & *Marcomannos*. Hi itaque Jazyges à Romanis pulſi pars ad *Rhenum* eſt ducta, à Cæſaribus Romanis Conſtantio & Maximiano in principatu Diocletiano illisque arva tributa, audiêruntque *Sarmatæ Cis-Rhenani.* [w] Pars ad *Ruſſiam* ceſſit, ubi agros Podlachicos ſucceſſu temporis occupârunt; & ad Boleslai usque Pudici tempora retinuerunt. Fuerunt ergo Jazyges, Gens Lietvanis & Samogethis conjunctiſſima olim, imprimis Secul. XII. Polonis autem infenſiſſima, ad ſtuporem ferox & pugnax, neque unquam aut referre pedem aut pugnam quovis loco etiam iniquo detrectare ſolita. Memorabile refert citatus modò Kojalowicius c. l.

Fortitudo Jazygum. Cùm contra illos Boleslaus (Pudicus,) Rex Poloniæ bellum decreviſſet, atque tunc primùm Jazygum fines intrare auſus fuiſſet, Jazyges non modò repentinis irruptionibus, miraque celeritate agros Polonorum à latere pervaſtâſſe, ſed eo ipſo ferè momento, quo Polonorum exercitus intravit Jazygum fines, ſtatim prælium inchoâſſe. Verba Auctoris profero. *Et certè, cùm vix ſenſiſſe adventum Polonorum Jatwingi putarentur, repente Boleslao, ſub ipſam auroram ab excubiis nunciatum, ingentes hoſtium copias, citato agmine advolare; atque rectà in caſtra Polona ferri. Ducebat eum exercitum præfectus militiæ, KOMATUS. Tanta verò erat ferocia militi, ut eodem impetu, quo venerat, ab itinere in vallum Polonum contemptìm rueret. Eductæ à Boleslao properè in campum copiæ, atque quantùm ſubita vis ferebat, vix explicandi ordines ſpatium erat. Et quia ſtatim pro vallo ad manum planè res venerat, cæco omnino, diuque dubio Marte, in multas horas, tota vi, prælium gladiis agebatur. Primus Polonis ad victoriam paſſus fuit, cedes Komati. Is enim cùm inter primos, prælium voce & manu urgens, Ducis ſimul, militisque officium fortiter exequeretur, facto à pluribus ſimul impetu, confoſſus interiit.* Ita ſæpè viri unius fato, bellorum fortuna agitur. *Mox inde jam cæteri faciliùs vinci, & acies in cladem, non in fugam inclinare.*

Cædes Jazygum. *Nemo enim loco cedere; ſed tantùm cadentibus multis, ordines fatiſcere, & viam ad victoriam aperire. Quare ut campum integrè obtineret Polonus, internecione omnes delendi erant Jatwingi: cùm quisque aut è veſtigio, quod ſemel cæperat, quoad concideret à vulneribus, depugnaret; aut in locum jacentis commilitonis inter conſertos Polonos gradum obſtinatè promo-*

t lib. 2. Pol. Fl. in Caſ. pm. 29. u lib. 67. & 71. w Cluv. lib. 2. c. 14. pm. 412.

promoveret, &c. Tandem totus populus hic à Polonis debellatus, & Proceribus, atque omni equestri ordine acie deletis, Jazygum simul universum nomen deletum est, Colonis vel in Poloniam vel in Lietvaniam abductis. Illud notandum, quod *Dio Cassius*, de quodam Jazyge scribit, cui *Mestor* erat nomen, ubi laudat eum à duplici virtute, *Fortitudinis*, quæ in milite, & *fidelitatis*, quæ in servo amatur. Nam propter robur & *audaciam* in venationibus Imperatori *Adriano* imprimis charus fuit; *fidelitatem* verò præstitit, dum eidem Imperatori mortem, quamvis rogatus inferre neque voluit; neque, affectu mentem manumque revocante, valuit. *Mestor fortis & fidelis.*

Jazygum Reges aut res gestas enarrare, haud facile est, eò quòd illi magis in generosè factis, quàm in scriptis edendis occupati fuerint. *Cedrenus* [x] tamen meminit Regis cujusdam *Rausimodi*, contra quem Constantinus M. acerrima bella gessit, parte exercitûs Romani potiore amissâ. *Zosimus* etiam meminit, cujusdam Jazygis reguli, *Taifalis* nomine, cum quo idem Imperator bellum gerere coactus est. Memoratur aliàs apud *Berosum* quispiam Jazygum Sarmatarum Rex *Polakus*, de quo Sarnitius l. 1. Quod si non confictum nomen sit, conjectura foret, Polonos nostros à bellicosissima Jazygum gente originem duxisse: aut certè è Polonis quempiam assumptum ad Regimen, Jazygibus imperâsse. *Reges Jazygum.* *Rausimodus.* *Taifalis.* *Polakus.*

§. X.

De Amazonibus Sarmatarum connubio insignibus.

Finitimæ Sarmatarum Amazones, eorundem connubio, præter alia, celebres exstitêre: testantibus id Pomponio Mela [y] Herodoto [z] & aliis. Eæ linguâ Sarmaticâ dictæ fuerunt Oeorpatæ i. e. *Viriducæ*, vel potius *Viricidæ*. Oeor enim juxta Herodotum virum denotat & pata occidere. Nomen Amazonum, videtur esse Græcum, unde autem provenerit, non satis eruditi conveniunt. *Philostratus* [a] putat, dici Amazones, quòd infantes *mazo* i. e. mammâ non alantur, sed roris favis, qui in mellis modum calamis fluviatilibus insidet, lacte præterea equino adjecto. Alii putant, dictas esse Amazones, quòd mazo careant, i. e. mammâ; amburere enim dextram solitas tradunt Historici, ut in proximam, plus commeans alimenti, valentiam conciliaret ei, quæ etiam per naturam invalida habebatur. Ita enim Pomponius Mela c. l. *Fœminæ Sarmatarum cum viris bella ineunt, atque ut habiles sint, natis statim dextra aduritur mamma, inde expeditur in ictus mamma, quæ exeritur, virile fit pectus: arcus tendere, equitare, venari, puellaria pensa sunt, ferire hostem, adultarum stipendium est, adeò ut non percussisse pro flagitio habeatur.* Apud Græcos, *Maza* vox accipitur, pro re tenui vilique; unde Amazones dici possent, veluti *qui mazâ careant*, non tenuis vilisque populus, a enim præpositum nominibus Græcis est privativum, sivè negativum, ut *apathos*, *astomos* &c. Ex Eustatio Coelius suprà citatus putat Amazones inde nomen duxisse, quòd lacertis ac *Amazones Oeorpatæ.* *Unde dictæ Amazones.* *Maza vox quid?* *Eustatii Sensus de nomine Amazonis.*

[x] In Chronico ad ann. 23. [y] lib. 18. [z] lib. 4. [a] in Heroicis.

ac testitudinibus & id genus venenatis animantibus alerentur. *Themyſciras* olim Amazonum ſedes putat Sarn. l. 1. Themyſciræ fluv. proximus fuit Parthenius fluvius, ad cujus ripam *Heneti* & *Moſzini* degebant. Hoc memorabile. Monſtrantur adhuc arces quædam in finibus Bohemiæ, *Dziewczybræ*, i. e. *puellares* dictæ, ubi ſedes quoque ſuas habuiſſe feruntur: quæ mulieres, ſive veteres Amazones fuerint, ſivè veterum progenies, teſtantur ſaltem nomina illa, eas etiam in iſtis regionibus ſuas colonias habuiſſe. *Amazonum Expeditiones* variæ: (1.) in *Aſiam* Cymmeriis. (2.) ad *Epheſinum templum*, de quo Manethon Ægyptius. (3.) ad *Trojam*, ſub Duce *Pentheſilea*, quas adduxit *Odius* & *Epiſtrophus*.

§. XI.

De Bellis Sarmatarum cum Scythis, Gothis, Romanis.

Bella Sarmatarum cum Scythis.

QUamvis Sarmatæ cum Gothis & Scythis unius originis habeantur & ſint; plurima tamen bella Sarmatæ cum Scythis & Gothis habuêre. Diodorus Siculus [b] refert, quòd Sarmatæ, gentem Scythicam, ejuſque Regem Aly ſubegerint. Id verò putat Sarnicius, [c] factum fuiſſe circa tempora *Samſonis*. *Manethon* Ægyptius [d] refert Sarmatas cum *Celtis*, ſub Rege *Galatâ* bella geſſiſſe, atque à Galatâ devictos fuiſſe. Galatæ Pater fuit, juxta Diodorum Siculum [e] *Olbius*. Cujus mentio fit etiam apud Ptolomæum. Quis autem fuerit Olbius ignotum & quæ ejus vocis perplexitas apud Authores? Videantur Prolegomena cap. ult. Etiam cum *Gothis*, conterraneis ſuis, bella geſſerunt, de quo Paulus Diaconus. [f] Imò & exteris nationibus bella intulerunt Sarmatæ. Cum *Philippo Macedone*, Sarmatas noſtros bellum geſſiſſe Jornandes c. l. teſtatur, quod tandem ſic finitum eſt, ut Philippus, *Medonem*, *Gothilæ* Sarmato-Getarum Regis filiam duceret. Hi ſub Scytharum nomine cum Alexandro M. congreſſi, ejus ducem cum univerſis copiis delêrunt. [g] *Julii* & *Auguſti* Cæſarum temporibus, primùm innotuêre Romanis; ſub Auguſto bella cum Gepidis in Pannonia geſſerunt. Sub *Tiberio* Aug. Pannonias diripuerunt. [h] Sub *Domitiano* recruduit bellum, & univerſa legio ejus cum Duce interfecta eſt. [i] Sub *Trajano* iterum bella renovârunt Sarmatæ, non tamen felici ſucceſſu. [k] Sub *Antonino* Imperatore cum *Marcomannis*, *Quadis* & *Suevis* junctis viribus arma moverunt in Romanos, quorum hoc bello ærarium adeò exhauſtum fuit, ut Imperator ipſemet *vaſa ſua aurea, pocula chryſtallina & murrhina*, *uxoriam ac ſuam ſericam veſtem*, *multaque ornamenta gemmarum vendere coactus fuerit.* [l] Sub *Philippo* quoque Imperat. Sarmatæ & terreſtribus & navalibus copiis omnia vicina Romanorum vaſtabant. [m] Quod & temporibus Imperatorum *Decii*, *Virii*, *Galli*, *Licinii*, *Valeriani*, *Claudii*, *Aureliani*, *Probi*, *Diocletiani*, *Sylva-*

Cum Celtis.

Galata Rex Celtarum.

Bella Sarmatarum cum Philippo Macedone.

Cum Alexandro M.

Cum Romanis Impp.

b lib. 2. c. 11. c c. l. p. 24. d in ſua hiſt. in ſupplem. Beroſi. e lib. 6. f lib. 16. pm. 541. g Auban. Boem. lib. 2. p. 14. h Aurelius Vict. & Eutropius in Tiberio. i Eutrop. in Domitiano. Egnat. k Eutrop. in Trajan. l Eutrop. in Antonino. m Pompon. Læt.

Sylvanii, Constantii, Valentiniani continuatum est: quando non modo *Pannonia* sed etiam totum *Illyrium* & *Mœsia*, imò *Græcia* quoque & *Macedonia* prædæ Sarmatarum patuerunt. Hæc si benè ponderentur, non omnino fabulosum videbitur; quod habet *Vincentius Kadlubko*, de bellis Sarmatarum, cum Julio Cæsare gestis; quamvis adjuncta historiæ, sive circumstantias, quas ille affert omnino probare non possimus. Fuisse tamen Sarmatarum nomen & virtutem per arma Romanis cognitam patet ex Plinio.[n] Neque antiqua Græcorum scripta de iis silent.

Kadlubkonis Historia.

§. XII.

De Borystenitis, sive populis ad Borystenem sitis.

CUm *Strabo*[o] & alii Sarmatarum agros ad Borystenis ripas reponant, visum est hìc apponere nomina gentium celebriorum, quæ ad Borystenem habitâsse creduntur. Sunt autem: *Getæ, Basileæ, Jazyges, Urgi, Nomades*: Hos *Strabo* c. l. & *Herodotus* nominant *Borystenitas*; inter hos ad occidentem partem sunt *Callipides, Græco-Scythæ* dicti i. e. è Græcis facti Scythæ. Tum *Alizones*, Scythæ *Aratores*, quorum mos fuit *torrere tritica*, consimilis ei, qui in Samogethia, Nadravia, Zolavonia usque adhuc durat. Deinde *Neuri*, quorum tractus ad *Aquilonem* vergit. (Conjectura est, hos Neuros fuisse *Niepri* accolas, quo vocabulo ille fluvius à Polonis vocatur) Ab *Oriente Hilæi* & *Olbiopolitæ*, *Androphagi*, *Melauchlæni*, *Lapiri*, Sauromatæ. Ad aquilonem *Budini Thyssagethæ* multique alii.

Corollarium, de Ludo Sarmatico. Ludus Sarmaticus celebratur apud Authores, quem tamen illi non describunt, neque exprimunt in quo constiterit? Hoc de illo referunt, quòd nihil eo dulcius sit. Talem quondam ludum à *Carino* Imperatore Romæ exhibitum, notat *Vopiscus* in Carino.

APPENDIX

De Insulis Sarmatiæ adversis.

INsulas contrapositas Sarmatiæ, visum est apponere præsenti de Sarmatiâ TRACTATUI, tanquam terminos. Meminit illarum *Mela*[p] earumque incolas nominat *Oones, Hippopodes, Panotios*. Cluverius[q] has Insulas putat esse *Novam Zemblam*, (*Zemlam* ego lego, & dicitur Russicè *Terra*.) Sed hæc *Cluverii opinio* non probatur nobis. Imò. Veteres septentrionalem Oceanum non sunt emensi navigiis, ita ut ad novam Zemlam pertingere potuerint: nam ultra Sveones, Mare, sive illud Balthicum, sive Norvegicum sit, pigrum & glaciale statuerunt. Imò nondùm seculum est, quo notitiam harum Insularum scilicet

n lib. 4. o lib. 7. p lib. 6. q lib. 1. c. 1?

ſcilicet Novæ Zemlæ accepimus. 2dò. Dicere in Nova Zemla fuiſſe incolas, haud eſt probabile, cùm ob *inclementiam poli* ibi homines ſubſiſtere non valeant; quod ex hiſtoria hodierna certum eſt. Videatur Itinerarium *Hemskerkii.* 3tiò deniq́ue aliter ſentire ſvadet nominum iſtorum derivatio. *Oones* enim lingva veteri Pruſſica, dicuntur Inſulares, voce deducta ab *Uona*, quod aquam denotat, inde *Udas* humidus, aquoſus. *Hippopodes* autem ſunt, quaſi *Uppopates* i. e. *qui ad ripam fluminis degunt.* *Panotiorum* nomen derivatum videtur à *Panas*, Pano, i. e. Dominus, inde Panotis, ſeu juxta hodiernam dialectum *Panáitis*, quaſi *vice Domini*, ſeu *filii Dominorum.* Mihi videntur ita eſſe dicti, quòd inter Inſulares Magiſtratum geſſerint. Sed in his ſentiendi libertas relinquitur omnibus: ut enim conjecturare in dubiis, ita conjecturas has vel illas acceptare, vel afferre novas, ingenuis liberum eſt ingeniis.

CAPUT XI.

Quæſtio Unica & Poſthuma.

An Getæ & Gothi fuerint unus populus?

NE Lectorem in re aliàs dubiâ, dubium relinquerem, viſum eſt mihi apponere hîc Quæſtionem unicam & poſthumam, quia mihi natam poſt alias; *an* ſcilicet *antiqui illi Getæ fuerint Gothi*, *de quibus hîc agimus?* Dum enim utrumque nomen promiſcuè hîc accipimus, videtur una eademq́ue gens Getarum & Gothorum à nobis intelligi; majusq́ue oritur dubium, ex illo inſigni inter nobiles Geographos problemate, *An ſcilicet illi populi, antiquis Getæ dicti, fuerint Gothi iidem, de quibus nos in præſenti.* Quare & nobis idem problema agitandum eſt.

Lazius,[r] Cluverius,[s] Pontanus[t] ſentiunt diverſos fuiſſe Getas à Gothis, atque *Jornandem* & *Joannem Magnum*, imperitiæ arguunt & nugacitatis, Gothos cum Getis confundentem. E contra ſunt Viri non minus eruditi, qui contrarium affirmant, dicuntq́ue Gothos & Getas unam fuiſſe gentem. Ita H. *Grotius*[u] Dan. *Heniſius*[w] J. *Loccen. Freinsheimius*[x] C. *Hartknoch*,[y] & alii plurimi. Priorum rationes ſunt. 1. *Getarum nomen apud Græcos eſſe vetuſtius, quàm Gothorum.* Jam Getarum meminiſſe *Herodotum* non Gothorum: quorum nomen demùm poſt *Antonini* tempora, vel paulò ante tempora Conſtantini M. innotuiſſe. 2. *Getas fuiſſe Thracas*, & Thracum vicinos idq́ue patere ex Herodoto, Strabone & aliis. 3. *Lingvæ diverſitatem diverſos etiam arguere populos.* His reponit adverſa pars ſequentia: ad 1. ultrò largiri, Getarum nomen apud Græcos vetuſtius, quàm Gothorum, ſed exinde colligere velle, non fuiſſe Gothos & Getas unam gentem infirmo

r lib. 10. s lib. 3. cap. 34. t in deſcript. Daniæ. p. 607. u c. l. w in Panegyric. Guſtavi M. x in Antiquit. Sveco-Goth. y in literis ad Loccenium. z in diſſertationibus de Antiquit. Pruſſ.

infirmo niti talo. Immutari facilè potuêre nomina populorum & tempore & usu. Forsan (ait Loccenius) ex lingva Svetica dictos fuisse à voce *Göthar* vel *Giothar:* Græcos autem & Latinos suæ lingvæ sono pronunciâsse Getas, postea Gothos. Præter testimonia domestica adducit idem Auctor etiam testimonia extranea vetera. Imprimis Ælii Spartiani, qui Gothos appellatos fuisse Getas his verbis attestatur: *Cùm Antonius Caracallus Germanici & Parthici & Arabici & Alemanici nomen adscriberet*, (quòd has Gentes devicerat;) *Helvius Pertinax filius Pertinacis, dicitur joco dixisse: Adde si placet etiam Geticus Maximus, quòd Getam occiderat fratrem, & Gothi Getæ dicerentur: quos ille, dum ad Orientem transit, tumultuariis prœliis devicerat.* Talemque denominationem non vulgò usurpatam, sed *eruditis* in usu fuisse, probari potest testimonio *Hieronymi*, [a] qui Gothos *ab Antiquis eruditis* Getas vocatos esse asserit. Addit *Freinsheimius*, quòd Latini solemni mutatione τȣ̃ ε, in τὸ ο Getas in Gothos permutârint; similiter atque Πτολεμαῖος, Latinis est Ptolomæus, Κέρκορα, Corcyra &c. *Id de terminatione*, dicere (verba sunt Authoris) *supervacaneum esse, cùm in barbaris nominibus ea sit arbitraria. Sic dicimus modò Turcas, modò Turcos.* Ad secundum, quo Getas vocatos fuisse dicitur Thraces vel Thracum vicinos, respondent: *Herodotum* [b] *Getas Thracum fortissimos* dicere, sed illud ipsum quoque de *Gothis* asserere Procopium [c] quòd scilicet *sint omnium barbarorum fortissimi*; ut vel hinc colligere liceat Getas & Gothos fuisse unam origine gentem. Neque Getas ideo fuisse dictos Thraces, quòd originetenus Thraciam habuerint, sed quòd Getæ incoluerint advenæ hanc terram, & ibi demùm se propagârint. Hoc sensu intelligendus est Aurelius Victor in Gratiano, Thraciam & Daciam genitales terras Gothorum appellans. Ad Tertium reponunt 1. Quæ propriè fuerit *lingva Getarum & Gothorum* illis temporibus? nesciri. 2. Quamvis modò post tot secula, diversa Getarum & Gothorum argueretur lingva, exinde tamen non sequi, Getas & Gothos olim non fuisse unum populum: Quia ex confusione & commixtione gentium oriri etiam solet confusio & commixtio lingvarum. De quo Bodinus Meth. Histor. c. 9.

Adjicit Loccenius verba quædam Getica, quæ ex lingva Sveco-Gothica, i. e. *Teutonica* derivare laborat. Apud Getas olim *Deus resuscitandorum*, Γεβελεῖσιο appellabatur, quod nomen ille derivat à Svecico: *Gifva Loisa*, i. e. *dare pausam à curis*, quod per mortem fieri certum est. Nomen *Zamolxis*, (qui Deus Getarum fuit) mansisse autumat apud Dalecarlios, qui quem mortuum putabant, ad Samolsin abiisse dicebant, teste Olao Rudbek. Gepidarum (Gothicæ gentis) nomen, pergit Auctor, quòd Jornandes à Gepanta; Johann. Magnus à *Gepa* deducit, esse Sveco-Gothicum & denominare *pigrum stolidum* à voce *gapar*, quod Svecis *Oscitantem* significat: Boroistæ Nomen Regis Gothorum derivari à voce Svecica; *Burvista*, i. e. *qui comis est erga cives, vel rusticos*: Vocabulum *Cotison* vel *Gothi-Son* illi

Gg designa-

[a] In Præfat. Comm. in Ep. ad Galatas. [b] lib. 4. [c] lib. 4.

designare *Coti filium*. Similiter, verbum *Intaphis*, putat idem tunc significâsse, quod Germanicum: Einbüssen i. e. clade affici, sed quo primitivo gaudeat non addit. Denique sententiam suam testimonio probat *Valefridi Strabonis* [d] (vixit is ante annos ferè DCCC. Tempore Ludovici pii Imp. R.) qui ita scribit: *Gothi & Getæ eo tempore, quoad fidem Christianam edocti sunt, in Græcorum provinciis commorantes, nostrum* i. e. *Theodiscum sermonem habuerunt*. Ultimò, ex *convenientia morum* demonstrari posse putat, Getas & Gothos esse unum populum: scilicet Getas & Gothos generosos fuisse se *immortales credidisse*; utrosque fuisse *capillatos*, *crispatos*, *braccatos* &c. Ita suprà citati Authores disceptant inter sese. Ego ab utraque parte dissentire certis adductus rationibus cogor: Virorum tamen præfatorum salvâ, per omnia, auctoritate & honore.

Dico itaque 1. Nomen Geticum latiùs se olim effudisse, quàm ad populos Gothicos nostros: Græcosque, Thraces & Dacos ac cæteros Scythas ac barbaros, cis & trans Tranaim & ultra, hoc nomine venisse; adeoque hoc sensu Cluverium non malè sensisse, qui, verbis Taciti inhærens, nec amplitudinem vocis Getarum, & quod in multis Græci ad vocabulum γείτων, (vicinum id significat) alluserint advertens; Gothos à Getis distinxit. Hac ratione, certum est, Thraces vocatos fuisse Græco-Getas; Tyræ accolas Tyrogetas; Mœsiæ incolas, Massagethas: Hippicorum montium accolas, Hippogetas, &c. 2do. Usum tamen successu temporis obtinuisse, ut nomen Geticum, sive Getarum Gothis nostris, Romanum Imperium tam potentissimum debellantibus, datum sit, idque non tantùm ex sententia simpliciorum & vulgi; sed etiam eruditissimorum Virorum. Neque hîc nobis officit, quòd aliud sit nomen Geticum, aliud Gothicum; Unde enim hoc provenerit, suprà cap. 3. §. 4. ostendimus. Nec: quòd Getarum nomen antiquius sit, quàm Gothorum: Ultrò largimur Græcos ante Romanos res has scripsisse ut in Prolegom. pag. 4. c. m. ostensum. Nec quidquam impedit, Getas Thraces esse dictos, quo argumento hoc factum, tractavimus Cap. IX. §. 1. Quod autem *Loccenianam* de *linguâ Gothicâ opinionem* attinet, non video, quâ ratione, Viro aliàs doctissimo, consentire queam, verba Gothica, invitis etiam Minervæ labris huc illud deflectenti, atque suam Svecicam pertrahenti lingvam. 1. Certè *Gybeleisis*, Getis non fuit Deus requiei; sed *Deus resuscitandorum*; seu ut Herodotus loquitur. ἀθανατιζόντων, i. e. *immortalizantium*: quasi *Deus ille, qui mortuos suos vitæ restituit; ut sint immortales*. Et hoc vocabatur Gybeleisis, idem adhuc significat in lingva Sarmatica, Zamogetharum, Prussorum, Lietvanorum: scilicet à voce Gyva & leisis, i. e. immortalizans, seu qui finit vivere, non mori. Quo sensu qui primis Samogethicam lingvam labris attigit, istud Gyweleisin intelliget. Nec sensus iste, quem Loccenius voci huic dedit, adeò certus probatusque est, ut non à plurimis, iisque haud contemnendæ eruditionis Viris & quidem Svecis rejiciatur;

[d] c. 7. de verit. Eccles.

tur; ſcilicet ab Olao Magno,[e] Joanne Magno,[f] Stiernhelmio,[g] &c. Hi enim derivant à Teutonico Blitzen/ i. e. *fulgure*, quaſi ſit *Geweleiſis* idem *quod Jupiter tonans.* Sed & hi, prout Loccenius, à ſenſu, quem veteres Getæ de ſuo Giweleiſi habuerunt, longè diſcedunt. 2. *Zamulkſis* ſeu *Zamolxis*, teſte Herodoto, c. l. Deus eſt, *ad quem defuncti meant, & ad quem mittuntur, ut ipſi inſerviant*; id fit, quando terra tumulantur. Hujus originem vocis propoſituri dicimus, derivandam eſſe à voce *Ziame vel Zeme* i. e. *Terræ*, *Zemeluks* & contractè *Ziamulks* eſt Zamogethis, Nadravis, Zalavonis, *Deus terræ, terrâque tumulandorum*; Ex voce hac Ziameluks, fecerunt Græci Zamolxis: Opinio autem iſta Getarum olim; ſcilicet Zamolxin eſſe talem Deum, ad quem defuncti, quorum ille ſevitio indiget, mittendi ſint, adhuc durat apud plurimos in Nadravia, Zalavonia, Pruſſia, in Zamogethia, Lietvania, de quo fuſius in Delic. meis. Quod teſte Olao Rudbek aſſerit; *iſtam locutionem ad Samolſin ire, in uſu adhuc Dalecarlios eſſe*; Reſpondeo; Longè alio ſenſu hoc apud Dalecarlios dici, quàm quo apud Getas olim. Nam Dalecarlii hac phraſi mortem deſcribunt, *communem hominum collectionem*; quare de homine mortuo, vel de illo, quem putant mortuum, dicunt eum, ad illum conventum, quò omnes homines conveniunt, abiiſſe. Et id nomen Sammolſis apud Dalecarlios derivatur à Teutonico Sammelen. Inde Sammelplatz/ eine Verſamlung/ i. e. Collectio, congregatio. Non ſanè hoc ſenſu Getæ olim hoc vocabulum uſurpârunt, neque nunc Pruſſi, aut Zamogethæ aut Lietvani. 3. Quod originem nominis Gepidarum concernit, concedimus apud Teutones nonnullibi vocem Japert, oſcitantem ſignificare; aſt nimis debile pro ſententiæ iſtius confirmatione argumentum, ex mera vocis natum alluſione, quæ eò magis fallit quò incertior eſt ejus vocis genuina ſignificatio. Eraſmus Stella c. l. vult hos populos *Sigepedas* vocandos eſſe, Joannes Bretkius in M. S. antiquit. Pruſſ. *Jeipedes.* Utrumq; nomen denotat hominem, qui deſignato tempore pedes ſuum curſoris munus perficit. De quo in Deliciis meis. 4. *Boroiſta* nomen Regis Getarum Jornandi eſt & dicitur *Legislator.* Sraboni[h] ſcribitur βυροβίςας. Hic repetimus, quod ſæpiùs jam innuimus, illud ſolenne Sarmatarum, vocales a pro u. pro o, u, pro u, y, &c. commutandi. *Buroviſtas*, autem eſt in Lingva Sarmatica Samogetharum (quod Nadravis eſt *Barowiſtas*,) *Litium diremptor*, à *baras, rixa*, & *wiſtu*, *compono* & *dirimo*; Quæ derivatio certè meliùs quadrat, nomini officioque Regis illius, quàm illa Loccenii de comitate cum civibus vel ruſticis. Nam Regis vel Legislatoris eſt lites dirimere, componere. 5. De illo Gotiſon apud Svetonium[i] bene judicat Loccenius, quòd non dicatur Dei filius, ſed filius Goti vel Koti. Sed exinde non ſequitur eſſe vocem Sveco-Gothicam. Apud Perſas plurima reperiri verba certum eſt, quæ ferè idem in Germanicâ lingvâ denotant, quod in Perſica. Cùm tamen exinde, Perſas Germanicæ originis eſſe, dicere non poſſimus. Et Gotiſon vel pro

[e] l. 2. rerum ſeptentriol. c. 7. [f] l. 1. c. 10. [g] In liter. ad Joann. Loccenium. [h] lib. 7. Geogr. [i] In Auguſt. c. 12.

pro hodierna dialecto, Gotisun idem in Sarmatia denotat, nimirum filium Gothi. Scilicet Polonis Syn est filius; Lietvanis Sunus, Samogetis Suns, Curonibus Sun. Denique multò meliùs vocabulum *Intapha*, ex lingvâ Sarmaticâ deducitur, quàm è Teutonico **einbüssen**/ nimirum à verbo Prussico, Xdabhu, quod effertur quasi in dabhu, i. e. irrumpo, pro quo modò Poloni dobywam dicunt, i. e. irrumpo, impugno. Hac derivatione sensum non malè assequi possumus Svetonii, de clade Darii loquentis, quam ipsi Rex Gothorum *Anticyrus* intulit. Nimirum: *Crebris fatigatus Intaphis octoginta millia perdidit armatorum*, i. e. *crebris fatigatus oppugnationibus seu irruptionibus* &c. 7. Testimonium Valefridi Strabonis Abbatis Augiensis etiam contra nos non multùm militat. Dicit enim is tantùm, quòd Getæ & Gothi, ab eo tempore, quo ad fidem Christi perducti, inque Græcorum provinciis commorati sunt, Theodiscum sermonem in usu habuerint, non autem, quòd Theodisca lingva, lingva fuerit Gothorum primæva & genuina. Potiùs sequi videtur, quòd antequam Christianam fidem susceperint, atque in Provincias Græcorum venerint, aliam, quàm Theodiscam lingvam habuerint. 8. Mores quos adducit similes Getarum Gothorumque Svecicorum; adeoque quòd Sveco-Gothi, *generosi* fuerint, *mortem contempserint*, *se immortales crediderint*, quòd *capillati*, *braccati incesserint* &c. hæc omnia, nimis commune ac infirmum præbent argumentum; atque multis variarum nationum populis communissima sunt, alia sanè & specialior hîc requiritur convenientia, si ex rituum similitudine sit aliquid probandum. Et in his quoque facilis est lapsus: quamvis enim religio, mores, ritus profani ac domestici, modus vivendi, signa quædam afferant, similitudinis, non tamen ita luculenter demonstrant populorum unitatem aut diversitatem: Nam plurimos videmus, inter se aliàs diversos populos in religionis cultu: alios in modo regiminis, alios in rebus domesticis convenire, cùm tamen non sint eædem gentes. Sarmatæ Slavique habuerunt cum Gallis ritus eosdem in *Sortilegiis*, in *exstipiciis* & aliis, & tamen diversæ fuerunt gentes. Teutones & Sarmatæ in *modo vivendi* conveniebant, cùm tamen longa horum populorum sit differentia.

Ex Supra-dictis clarè sequitur Gothos nostros unam cum Getis fuisse gentem, nec fuisse Sveco Gothos sed Sarmatas, &c.

CORONIS
LIBRI PRIMI
De Gloriâ Gentis Gothicæ.

QUô in honore *Gothicum Nomen* fuerit, quo in pretio virtus, discimus ex 12. *lib. Cod.* Non enim tantùm *confœderati* Romanorum fuêre Gothi, sed etiam *summis* ab iisdem Romanis affecti *honori-*

Flav. Gainus Imperat. Orient.

Stilico rexit Imp. Rom. Orientale.

honoribus. Nimirum iis, inclinantis Romani Imperii *Directio* credita eſt: Et *Flavius Gainus* Gothus à Provinciis Romani *Imperii Orientalis* in Imperatorem electus eſt contra Arcadium Imperat. Rom. *Stilico* quoque Gothus tutor ac ſocer Imperatoris Honorii, ſimulque cum eo occidentale rexit Imperium. *Odoacro* quoque Gotho, Herulorum Regi ceſſit *Auguſtus* Imperator imperii Rom. habenas. Reges quoque plurimi in Europa affinitate ſibi conjunxerunt Gothos, ut devincirent animos. Ita *Theodoricus Amala* Gothus duxit in uxorem *Clodovæi* Regis *Galliarum* filiam. Theodorici autem filiam duxit *Rex Hiſpaniæ*, alteram *Rex Burgundiæ*, Procopius.[k] Sequentibus dein ſeculis dum *Saraceni* plurimas in Hiſpaniis occupârunt Provincias, *Gothorum reliquiæ*, Saracenos invadendi omnem arripientes occaſionem, eò tandem rem bello deduxerunt, ut ſub Rege Gotho *Alphonſo* omnes Hiſpaniarum Provincias & Regna vindicârint. Ab hoc Alphonſo familiam ſuam deducunt *hodierni Hiſpaniarum Reges*; ſed & *hodiernus Romanus Imperator*, & qui cum hac auguſtiſſima *Auſtriacorum* familia conjuncti ſunt. Vid. *Mich. Ritius*, de Regib. Hiſpan.[l] Celebre Nomen Gothicæ gentis, alias inſuper devinxit ſibi gentes, adeò ut ſe ad Gothos referri origine voluerint. Ita Hugo Grotius c. l. p. 60. ex Gvillemanno refert, quod *Switzeri* à *Svedis*, quos ex falſa Jornandis relatione, vel interpretatione Gothos opinatur noſtros originem ſuam deducere ſatagunt. *Gyraldus Cambrenſis* ſcribit: *Scotos* ſe Gothorum prolem venditare. *Cambdenus* in ſua Brittania inquit; *Nec fraudi Scotico nomini eſſe poteſt, ſe Gothorum prolem agnoſcere, cùm potentisſimi Hiſpaniarum Reges hinc Stemma ducere glorientur.* Adde his, quæ *Beda*[m] habet de *Pictorum* gente, ex *Scythiâ* veniente, ubi per Scythiam Auctor notarum in hunc locum intelligit Gothiam. Denique memoriam nominis præferunt ſuo nomine *Civitates in Germania* à Gothis fundatæ, quæ utique nunc florent, eæque ſunt *Gottingen*, *Gotha* &c.

k lib. I. de bell. Goth. l Videatur Hornius in Orbe Imperante. pm. 1621 ubi inter alia hæc habet: *Ab his Gothis univerſa Nobilitas Hiſpanica originem ſuam ducit; Id quod ſibi ſuisque Hiſpanis honori duxit* Carolus V. Imperator; *& ignominioſum in Hiſpanis, aliunde, quàm à* Gothis *genus ſuum derivare.* m lib. I. hiſtor. Anglica. c. I.

H Sylla-

Syllabus Contentorum in Tractatu Orbis Gothici intitulato.

Prolegomena, in Orbem Gothicum.

6. De

Catalogus Auctorum in hoc Tractatu: *Orbe Gothico* Citatorum.

Arte-

Artemidorus.
Asinius Pollio.
Asinius Quadratus.
Athenæus.
Joann. Aubanus.
Augustus Octavius.
Ausonius.

J. Bancardus.
Banjertus *Henricus.*
Baronius Cardinal.
Goropius Becanus.
Badinus.
Bonfinius *Antonius.*
Bertius.
Bero.
J. Bretkius.

Cœlius.
Philipp. Calimachus.
Niceph. Calistus.
Capitolinus Julius.
Aurel. Casiodorus.
Cedrenus.
Nicet. Chroniates.
Cicero.
Claudianus.
Clitarchus.
Phil. Cluverius.
Conringius.
Dan. Cramerus.
Mart. Cromerus.
Reinh. Curike
Curtius.

Damastes.
Casp. Danckwert.
Joann. Daubman.
Jodoc. Lud. Decius.
Deugippus.
Deuxippus.
Dicæarrhus.
Ern. Dietzelius.
Diogmetes.
Diodorus Siculus.
Dion Cassius.
Dio Halicarnassæus.
Joann. Dlugossus.

Eratostenes.
Ericus Ep. Upsal.
Eudixus.
Eudoxus.
Eugippus.
Eusebius Cæsar.
Eustatius.
Eutropius.
Pomp. Festus.
Valer. Flaccus.
Florus.
Freinsheimius.

Stephan. de Garibay.
A. Gellius.
Glarcanus.
Godofredus.
Georg. Golnicius.
Gregorius Turinens.
Hugo Grotius.
Sim. Grunow.
Albert. Gvagninus.
Gvido Ravennas.

Hanno.
Christoph. Hartknoch.
Hecateus.
Dan. Heinsius.
Hellanicus.
Helmoldus.
Helmond.
Heinskerkius.
Casp. Henneberg.
Marcianus Heracleotas.
Heraclitus.
Herburtus de Felstin.
Rutger. Hermannides.
Herodianus.
Herodotus.
Hesiodus.
Hieronymus.
Himilco.
Hipparchus.
Horatius.
Georg. Hornius.

Idacius.
Jeroschin.
Joannes Abbas Viclariens.
Jornandes.
Josephus.
Isidorus.
Juba.
Julian. Diac. Tol.
Julius Cæsar.
Justinus.

Vincent. Kadlubko.
Kekkermannus.
G. Knappius. S. J.
Alb. Wijuk Kojalowicius.
Alb. Krantzius.

Lactantius.
Lampsacenus.
Wolfg Lazius.
Joann. Leo.
Liebenthal.
Joann. Loccenius.
Lucanus.
Lucianus.
Luculli Porticus.

Joann. Magnus.
Olaus Magnus.
Manethon Ægyptius.
Joann. Mariana.
Amm. Marcellinus.
Joann. Martini.
Maximus Cæs. August.
Megistenes.
Mela Pompon.
Melanchton.
Georg. Mercator.
Metrodorus.
Joann. Micrelius.
Matth. Miechovius.

Nicephorus Callistus.
Nicol. Cælianus.

Flor. Oecampus.
Onescritus.
Orosius.
Abrah. Ortelius.

Joach. Pastorius ab Hirtenb.
Patrocles.
Paulus Diaconus.
Philostratus.
L. Piasecky.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Fr. Pollio.
Polybius.
Isaac Pontanus.
Posidonius.
Privilegia Svecica.
Norvegica.
Procopius.
Prosper.
Ptolomæus.
Pytheas.

Quintilianus.

Radevicus.
Georg. Rhanis.
Cæl. Rhodiginus.
Michael Ritius.
Joach. RosenZwejus.
Olaus Rudbek.

Stan. Sarnicius.
Saxo Grammaticus.
J. Scheflerus.
Casp. Schutz.
Seleucus.
Serapio.
Sidonius Apollinar.
Car. Sigonius.
J. Sobiescius.
Solinus.
Sophocles.
Sozimus.
Erasm. Stella.
Stephan. Byzant.
Georg. Stiernhelm.
Strabo.
Matthias Strikowsky.
Snorro Sturlasonius.
Svetonius.
Sev. Sulpitius.
Aen. Sylvius.

Tacitus.
Theodosius.
Theopompus.

Thucidi-

Index Populorum quorum fit mentio Situsq; plerumq; notatur in Orbe Gothico

Tyrige-

INDEX
Rerum & Verborum.

Authoris

Carni

J. Cæ-

Ejus